Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

1,-220
DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 01265 8
+ REX
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS
Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

JOHANNIS WANDALINI
SS. Theol. D. & Prof. Regii

SCRIBA EDOCTUS
AD
REGNUM COELORUM,
ſive

Explicatio divinæ Chriſti parabolæ, de
Scriba Patrisfamilias inſtar è theſauro ſuo
nova ac vetera depromente,

Matth. XIII. comm. 52. propoſitæ,

Quæ præcipua Doctoris Eccleſiæ requi-
ſita, tam quoad doctrinam, quàm quoad
mores, complectitur,

Et Commentationibus Biblicis, in li-
bros nonnullos V. & N. Teſt. deinceps,
Deo propitio, elaborandis,

Proœmii loco præmittitur,

HAUNIÆ,

Literis HENRICI GÖDIANI, Reg. & Acad. Typ.
Anno cIↃ IↃcLXIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

HEROI,

DN. PETRO REEDTZ,

Domino Tygeſtrupij &c.

REGIO CANCELLARIO MAGNO,
SENATORI PRIMARIO,
COLLEGII CANCELLARIÆ PRÆSIDI,
COLLEGII STATUS ASSESSORI,
HADELANDIÆ, ROMERIGÆ, BUSKERUDÆ ET RINGERIGÆ
GUBERNATORI,
ACADEMIÆ REGIÆ CONSERVATORI,
PATRONO BENIGNISSIMO,

Salutem & incolumitatem precor.

Illuſtriſſime & Excellentiſſime Domine,

DIſſertatio hæc Academica de SCRIBIS, eorum differentia & officio, Tibi SCRIBARUM AQUILO-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

NIS PRINCIPI jure quàm optimo debetur. Eô enim illuſtri ſummi SCRIBÆ munere, quod nos §. V. & VI. deſcribimus, Tu in ampliſſimo Daniæ Regno, maximâ omnium cum laude & applauſu fungeris. Id quod nos cum Corn. Nepote *amicitiæ locum* apud Auguſtiſſimum REGEM Noſtrum interpretamur. Enimverò quod in aula Davidis Regum optimi erat *Serajas* 2. Sam. VIII. 17. & *Jehonathan*, quem Spiritus Dei *Viri prudentis* elogio ornat, & *Conſiliarium Regis* inſuper nominat 1. Chron. XXXII. 32. quod in aula pientiſſimi Ezechiæ *Schebnas* 2. Reg. XVIII. 18. 37. XIX. 2. in aula religioſiſſimi Joſiæ *Schaphanus* 2. Reg. XXII. 3. 8. 9. in aula Jehojakimi Regis *Eliſchamas*, qui in conſeſſu Principum primus, & *Præſidis* inſtar erat Jerem. XXXVI. 12. id Tu in aula Maximi Optimiq; Regis FRIDERICI, Domini mei Clementiſſimi, tuo merito audis, nempe *Magnus Cancellarius, & Collegii Scribarum Regiorum Præſes.* Illis autem Heroibus, populi Judaici luminibus, palmam tantò magis ambiguam facis, quantò excellentiore pietate in DEUM, fide in REGEM, ſapientia, prudentia, humanitate & publici egregii ſtudio, Cives tuos Tibi devin-

vinxiſti. Tibi *Scribarum Eccleſiaſticorum*, totiusq́; eorum per Daniam & Norvegiam religioſi ordinis, præcipua, & poſt DEUM ac REGEM ſumma cura incumbit, Te in primis, Illuſtriſſime Heros, Nos *Scribæ Academici*, ſapientiæ divinæ & humanæ Profeſſores Regii, ceu Patronum Summum, & Conſervatorem Academiæ Optimum, venerabundi ſuſpicimus ac colimus. Ad Te, ceu magnum Religionis orthodoxæ, & Literarum humaniorum columen, devoti confugimus. In tuo ſinu neceſſitates & vota noſtra, quæ pro Eccleſiæ & Reipublicæ literariæ ſalute ſuſcipimus, bonæ ſpei & fiduciæ pleni deponimus: qui de Tuo favore ac patrocinio, tot prolixæ benevolentiæ documentis, nulla oblivione unquam abolendis, nos ſecuros reddidiſti. Quos inter Ego, etſi meritis poſtremus, tamen obſervantiâ Tui nulli ſecundus, Tuisq́; beneficiis Tibi quàm maximè obſtrictus, jam, ſupplex accedo, atq; hoc levidenſæ munus, quantulumcunq; grati animi monumentum offero. Sanè tantæ ſunt, tam Illuſtriſſimi Soceri Tui, DN. CHRISTIANI THOMÆI SEHESTED, Tui in ſublimi illa digni-

gnitate Anteceſſoris, Herois ſancta & immortali memoria digniſſimi, à quo mei amor in Te quaſi hæreditario jure derivatus eſt, quàm Illuſtr. Magnificentiæ Tuæ, in me merita, ut illis, non dicam compenſandis, ſed vel prædicandis me imparem profitear. Et quia aliud uon ſuppetit, quo Tibi gratum animum in præſentia teſtatum reddam, has qualescunq; Commentationum Biblicarum primitias, eo affectu, quo me complecti ſoles, ut ſuſcipias, ſubmiſsè precor, Deumq́; ter Opt. Max. veneror, ut Te Heroum decus, Patronorum Optimum, Reipublicæ noſtræ quàm diutiſſimè ſoſpitem ac incolumem præſtet, Teq́; cum Illuſtri Tua Familia, omnigena proſperitate cumulet. Id quod nunquam vovere deſinet

Hauniæ,
Ipſo die Æquinoctii verni
Anno clↄIↄc LXIII.

Illuſtr. Excell. Tuæ
Obſervantiſſ. Cliens

Joh. Wandalinus D.

SCRI-

I.N.D.N.J.C.

SCRIBA EDOCTUS AD REGNUM COELORUM.

I.

Doctorum Eccleſiæ dignitas.

MAgnam omnino eſſe debere, & antiquitus omni ætate fuiſſe, Ordinis Eccleſiaſtici dignitatem & excellentiam, magnóq; in pretio ſemper habitos eſſe Reipublicæ Sacræ Antiſtites, qui publico docendi munere in utraq; cathedra, Academica juxta ac Eccleſiaſtica, eâ qua par eſt fide & dexteritate functi ſunt, non modò ſacra monumenta nos docent, ſed & antiquitas Eccleſiaſtica comprobat, priſciq; Patres uno ore teſtantur. Divini Apoſtoli vox eſt 1. Tim. V. 17. quòd duplici honore digni ſint οἱ καλῶς προεςῶτες, nimirum οἱ κοπιῶντες ἐν λόγῳ καὶ διδασκαλίᾳ. Dignatur eos in ſacris literis Dei Spiritus honorificis titulis συνεργῶν Θεοῦ 1. Cor. III. 9. *Legatorum Chriſti* 2. Cor. V. 20. οἰκονόμων μυςηρίων Θεοῦ 1. Cor. IV. 1. *Architectorum* 1. Cor. III. 10. quia domui Dei ædificandæ incumbunt 1. Tim. III. 15. *Patrum* 1. Reg. VI. 21. 1. Cor. IV. 15. τῶν ἡγουμένων Ebr. XIII. 7. 17. ἁγίων Θεοῦ ἀνθρώπων 2. Pet. I. 21. *ſalis terræ, & lucis mundi* Matth. V. 13. imò *Angelos Domini Zebaoth* eos appellat Malach. II. 7. Apoc. I. 20. II. 1. & ſæpius. Ebræis in V. T. dicebantur כּוֹהֲנִים, quæ vox principatum, ſive eximiam dignitatem, etiam civilem nonnunquam, deſignat 2. Sam. VIII. 18. XX. 36. Gen. XLVI. 20. Exod. XVIII. 1. Pſal. XCIX. 6. Job. XII. 19. Vide Lud. de Dieu ad Eſa. LXI. 10. & Menochium de Republ. Ebr. Lib. II. c. 5. Sacrum horum officium nominare haud dubitarunt Patres Concilii Sardicenſis Can. 20. Θεῖον καὶ σεβασμιώτατον ὄνομα; Ignatius Martyr. Epiſt. ad Smyrn. πάντων ἀγαθῶν ἀναβεβηκὸς; Tertullianus Exhort. ad Caſtit. *honorem ſanctificatum à Deo*, Clemens Alexandr. Stro-

Ex ſacris literis.

Ex teſtimoniis veteris Eccleſiæ.

mat. l. VI. μίμημα ἀγγελικῆς δόξης ; Ephraëm Syrus tr. de Sacerd. *ſcutum fulgurans & incomparabile* ; Gregorius Nazianzenus Orat. III. πάντων μεῖζον καλλώπισμα ; Ambroſius de Dignit. Sacr. c. 3. *Deificam profeſſionem* , quod Dionyſius de Eccleſ. Hier. c. 1. dixit ἱεραρχίαν θεουργικῆς ἐπιστήμης καὶ ἐνεργείας καὶ τελειώσεως. Ipſi verò Myſtæ ſive Doctores Eccleſiæ ſplendidis olim elogiis ornati fuere , adeò ut dicantur *Vicarii Dei & Chriſti* Ambroſio in 1. Cor. XI. & in 1. Tim. V. πάρεδροι Θεοῦ *ſocii Dei* Ignatio Epiſt. ad Polyc. *Throni Dei* Carolo Magno Imperatori in Capit. l. IV. c. 103. φῶτα τῆς ἐκκλησίας Iſidoro Peluſiotæ lib. I. Epiſt. 319. utpote τὰ τῆς γῆς δαδουχήσαντες τέρματα , *qui terræ finibus præluceut* , veluti de Baſilio & Gregorio Nazianzeno loquitur idem Iſidorus lib. I. Epiſt. 128. φωστῆρες Greg. Nyſſeno iu Vit. Moſ. ubi comparantur cum Johanne Baptiſta , quem Chriſtus appellat λύχνον καιόμενον καὶ φαίνοντα, Joh. V. 35. λύχνοι ἐξαστράπτοντες φωτισμὸν τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ δογμάτων καὶ πράξεων, *lucernæ ſplendorem Eccleſiæ afferentes dogmatum & actionum* Iſidoro lib. I. Epiſt. 32. *lucernæ dignè ſuper candelabrum Eccleſiæ poſitæ* Paulino Epiſt. 41. ad Auguſtinum: *lux gregis & flammæ* Gregorio Magno lib. VII. Epiſt. 32. *ſplendidiores ſole lampades* Gregorio Nyſſeno in vita Ephraemi Syri , τῆς οἰκουμένης ὀφθαλμοὶ ἁγιώτατοι Gregorio Nazianz. Orat. 23. de Athanaſio ; *camini ignis & faces ignitæ* , quod eloquium è Zachar. XII. 6. de τῶν ἐκκλησιῶν ἡγουμένοις interpretatur Cyrillus Alexandr. Comm. in iſtum locum ; *ignes ſoncti* , *ignes decori* Auguſtino Confeſſ. l. XIII. c. 19. ἀστραπαὶ *fulgura* Cyrillo in Zachar. IX. 62. *rutilantes & ſplendidæ ſtellæ* Nicolao Papæ I. Epiſt. 32. λαμπτῆρες τῆς Ἐκκλησίας περιφανεῖς *faces Eccleſiæ fulgidæ* Greg. Nazianz. Orat. XX. & φωστῆρες ἐν κόσμῳ *luminaria mundi* Eidem Orat. XIX. mutuò acceptâ appellatione à Paulo ad Phil. II. 15. *ſublimes Phari* Caſſiano Collat. XVIII. c. 1. *magnifica mundi lumina* Ruffino Hiſt. l. I. c. 31. κόσμοιο γένεθλα *mundi fundamenta* Nazianz. Carm. XI. θεμέλιοι Ἐκκλησίας Nicephoro lib. XIV. c. 28. *munimenta præſidii cœleſtis* S. Maximo homil. II. de S. Laurent. *inter procellas mundi ſuſten-*

Patrum ſententiæ hac de re.

tato-

tatores Eccleſiæ Hieronymo in Pſal. LVII. ϛύλοι τῆς Ἐκκλησίας, καὶ πίστεως ἐρείσματα, *baſes Eccleſiæ, & fidei columina* Greg. Nazianz. Orat. XXI. & XXIII. *veritatis columnæ* Hier. Epiſt. 61. *marmoreæ in baſibus aureis columnæ* Greg. Nyſſeno Hom. XIV. in Cant. Cant. *muri Jeruſalem* Euthymio in Pſal. L. *muri Eccleſiæ* Ambroſio in Pſalm. CXVIII. item illius πύργοι *turres* Chryſoſtomo Homil. II. de Prophet. Obſc. κοινὸν φυλακτήριον *commune munimentum* Greg. Nyſſeno in Vit. Thaumat. *Nymphagogi & pronubi animarum* Nazianz. Orat. I. μεσῖται Θεοῦ καὶ ἀνθρώπων Nicephoro lib. XIII. c. 17. *Dei & hominum ſequeſtri* Hieron. in Malach. c. II. *ſatellites Dei* Greg. Nyſſ. Orat. de Occurſ. Dom. *clypei terræ* Chryſoſtomo; *Patres Eccleſiæ* Greg. Nyſſeno Serm. de Occurſ. Dom. *Medici animorum* Origeni homil. I. in Pſalm. 37. ἀποτρόπαιοι *malorum depulſores* Greg. Nazianz. Orat. XXI. & quæ ſunt alia encomia, & tituli honorificentiſſimi, quos in ſacrum iſtum ordinem pii veteres nullo non ævo certatim congeſſere. Videatur Lud. Creſollius, qui hæc operosè perſequitur *Myſtagogi* ſui libro primo.

II.

VErùm quemadmodum tanto in pretio, tantaq; venerati- one, rerum ſacrarum præſides jure meritoq; habentur: ita ſummopere neceſſarium eſt, eoſdem myſtagogos omni ſtudio in id eniti, ut illud ſacri ordinis decus, eam eximiam dignitatem tueantur, nimirum ut *bene præſint* 1. Tim. V. 17, atq; in ſancto & ſublimi illo officio ita verſentur, ne iſto honoris & excellentiæ faſtigio indigni judicentur. Eam autem curam ſuſcipient, ut in aliis ſacri officii partibus ritè obeundis, ita in primis in cœleſti doctrina ad ſummi Magiſtri regulas fideliter conformanda, & auditoribus ad ſalutarem uſum rectè tradenda proponendaq;. Cujus rei rationem nemo meliùs, nemo pleniùs, nemo diviniùs aut docuit unquam, aut docere potuit, quàm Doctorum Princeps Optimus Maximus, Servator dulciſſimus, qui inter alia cœleſtis ſapientiæ præcepta nobis relicta, inſignem & planè divinam

Hoc decus tueri debent Doctores.

Præceptũ Chriſti ea de re.

hac de re γνώμην tradidit, apud Euangeliſtam Matthæum cap. XIII. commate 52. Διὰ τοῦτο πᾶς γραμματεὺς μαθητευθεὶς εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ὅμοιός ἐστιν ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ, ὅστις ἐκβάλλει ἐκ τοῦ θησαυροῦ αὐτοῦ καινὰ καὶ παλαιά. Et quandoquidem officii noſtri ratione inducti ad libros quosdam ſacros Veteris Noviq; Inſtrumenti publicè explicandos & illuſtrandos nos accinximus, omiſſis aliis, quas antea ſuſceperamus, lucubrationibus Theologicis; ne illotis, quod dicitur, manibus in ſacrarum literarum adyta irrumperemus, & ne ἄνευ προοιμίου aggrederemur commentationes noſtras Biblicas, quas in poſterum, ſi Deus vitam & valetudinem propitius indulſerit, publici juris faciemus: viſum fuit, illis ſuccinctam ſapientiſſimi hujus ἀποφθέγματος explicationem præmittere, quæ ſecuturis laboribus noſtris lucem fœneratura, & ſtudioſæ juventuti ad faciliorem divinæ ſcripturæ intellectum viam apertura eſſet. Quod dum agimus, conatus & ſtudia noſtra divinâ gratia & benedictione regat & fœcundet Magiſtrorum Optimus, Deus Spiritus, cujus officium eſt, nos διδάσκειν πάντα, καὶ εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν ὁδηγεῖν Joh. XIV. 26. XVI. 3.

Inſtituti ratio.

III.

Connexio ſententiæ cum præcedentib9.

Ut verò rectiùs formetur judicium de genuino ſenſu verborum Chriſti, conſideranda primùm eſt eorum cum antecedentibus connexio, quæ in eodem Matthæi capite manifeſta eſt. Nempe quando Chriſtus ob ingentis turbæ ad littus maris confluxum, navigium ingreſſus fuerat, ibi ſedens populum ad littus conſiſtentem docuit, variasq; & elegantes parabolas illi propoſuit, I. de quadruplici ſemine comm. 3. ſeq. cujus explicationem diſcipulis quærentibus dedit com̄. 18. ſeq. II. de tritico & zizaniis comm. 24. ſeq. quam pariter iisdem petentibus expoſuit comm. 35. ſeq. III. de grano ſinapis v. 31. 32. IV. de fermento tria farinæ ſata fermentante comm. 33. Mox autem in domum regreſſus Jeſus alias parabolas adjecit, nimirum V. de theſauro abſcondito in agro comm. 44. VI. de margarita pretioſa comm, 45. 46.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

VIII. de ſagena in mare jacta comm. 47. ſeq. Quibus parabolis propoſitis, & nonnullis earum explicatis, quæſivit Chriſtus ab Apoſtolis, an hæc omnia intelligerent? illis verò annuentibus, ſubjunxit Chriſtus diuinam illam ſententíam de Scriba Patrisfamilias æmulo, atq; ita parabolicis ſuis ſermonibus eximium colophonem impoſuit.

IV.

Particulæ διὰ τοῦτο non abundant.

PArticulas διὰ τοῦτο, per quas γνώμη noſtra cum præcedentibus conjungitur, Jo. Pricæus comm. in h. l. judicat *abundare, & nihil ad connexionem facere, neq; propterea quid operæ in earum expoſitione inſumendum eſſe*, ſicut eas etiam putat πλεονάζειν Joh. VII. 22. Matth. XXIII. 34. & aliis in locis. Sed vehementer fallitur Pricæus, cùm illæ omnino conjunctionem concluſivam deſignent, & connexionem oſtendant cum iis quæ anteceſſere, adeoq; etiam exprimantur ab Interpretibus, Ebræo per לכן, Syro מטל הנא, Arabico מן אחל הדא, neq; ab Æthiopico, Perſico, Vulgato, aut aliis omittantur. Nam vel reſpiciunt ad remotius aliquid, velut ad parabolam de theſauro in agro recondito, commate præcedente 44. deſcriptam, ut mens Chriſti hæc ſit: quandoquidem intellexiſtis Evangelium, quod ad regnum cœlorum ducit, eſſe ejuſmodi theſaurum: vos in poſterum, quos Scribas in regno meo conſtitui, ex iſto theſauro depromere oportet, quæ toti mundo ſunt proponenda: quæ interpretatio Jeſuitis Maldonato & Jac. Tirino placet comm. in hunc locum. Vel etiam particulæ hæ digitum intendunt ad ea, quæ proximè præcedunt comm. 51. & quidem hoc ſenſu: ſiquidem mihi compertum eſt ex reſponſo veſtro, quod ad quæſtionem meam jamjam dediſtis, vos eatenus in doctrina cœleſti profeciſſe, ut parabolas à me traditas, & vobis petentibus explicatas, juxta ac varia divina dogmata illis comprehenſa, probè percipiatis, reliqvum eſt, ut jam vos moneam, Scribas olim in regno Dei futuros, quibus ſuam familiam cœleſtis Pater paſcendam committet, ut arduo iſto munere, bonorum patrumfamilias inſtar, ſtrenuè defungamini, meumq;

Reſpiciunt hæ vel ad comm. 44.

Vel ad proximũ comma 51.

 exem-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

exemplum imitemini, ita ut è theſauro ſacræ ſcientiæ & cœleſtis eruditionis veſtræ, ſtudioſâ & fideli operâ, nunquam non in auditorum uſum nova juxta ac vetera depromatis, eosq; variâ & multiplice doctrinâ ſedulò inſtruatis: & quemadmodum audiviſtis meum docendi modum, quo myſteria regni cœlorum, nova quidem illa & hominibus antea inaudita, per parabolas è rebus veteribus & uſu tritis petitas expoſui, veſtrum erit eâdem ratione dogmata fidei proponere, ut homines novam & abſtruſam doctrinam à vobis prædicandá, ubi per veteres res ſibi intellectas fuerit illuſtrata, rectè percipiant. Quæ connexionis ratio in verbis Chriſti veluti Auguſtino probatur lib. Quæſtion. Evang. ſecundùm Matthæum c. 16. ita nos cum Theod. Beza, Cornel. à Lapide & Ad. Contzen comm. in h. l. eam menti Servatoris, & genuinæ textus συνεπείᾳ maximè conſentaneam cenſemus. Quod verò Apoſtolis præcepit Chriſtus, id omnibus Doctoribus illos ſecuturis inculcatum voluit.

V.

Subjectum propoſitionis γραμματεὺς.

DEinde in hac ipſa aurea ſententia Servatoris, primo loco diſpiciendum nobis eſt de ſubjecto propoſitionis, quod eſt Scriba, Græcè γραμματεὺς, reſpondens Ebræo סופר, quod & h. l. in Evangelio Matthæi Ebraico extat. Hujus verò vocabuli princeps ſignificatio eſt, quod ſacrarum literarum Doctorem & Profeſſorem publicum deſignet, & quidem talem, cujus officium in populo Judaico erat, divinam ſcripturam meditari, explicare, à corruptelis vindicare, in Templo & ſynagogis prælegere, interpretationes obſcuriorum, ubi opus eſſet, afferre, populum inſtituere, dubia ex Moſe & Prophetis objecta ſolvere, nec non perplexas quæſtiones circa legem motas enodare &c. Flacius in *Clavi* docet, eum olim Scribam appellatum eſſe, quem nunc dicimus *Theologum*. Et Cramerus in not. Germ. ad Bibl. Luth. h. l. dicit heic contineri Beſchreibung eines rechtſchaffenen *Theologi*. Nomen verò γραμματεὺς ſine dubio originem duxit ἀπὸ τῶν γραμμάτων, ſcil. ἱερῶν, quomodo ſacræ literæ, pro-

Ebr. סופר quid?

prium

prium Scribarum objectum, nuncupantur 2. Tim. III. 15. Aliàs vox iſta Ebræa orta à verbo ספר, quod in conjug. Pihel notat *exponere, enarrare, recenſere*, ut Pſal. XIX. 1. XXII. 31. XLIV. 7. aliiſq; in locis, præter eam, quam jam memoravimus ſignificationem, etiam laxiore ſenſu deſignat hominem, tam in civili, quàm in Eccleſiaſtico officio conſtitutum, planè ſicut alia vox כהן non modò ſacri muneris nomen eſt, & ſacerdotem notat, ſed & politicam dignitatem aliquando exprimit, veluti ſupra §. I. obſervavimus. Unde à LXX. Interpretibus 2. Sam. VIII. 18. כהנים redditur per *αὐλάρχαι*, i. e. *Principes aulæ*; à Jonathane Paraphraſte Chaldæo רברבין i. e. *Magnates*, à Syro & Arabe *Principes*; in Verſ. Hiſpan. Judæorum Mauritanienſium *Principales*. Conferatur locus parallelus 1. Chron. XVIII. 17. ubi vox כהנים explicatur per הראשונים ליד המלך i. e. *primos ad manum Regis*. Idq; eam ob cauſam factum eſt, quia Principes familiarum antiquitus & ſacris operabantur, & unà civili dignitate præ aliis eminebant.

Vocis כהן *ſignificatio.*

Noſtrum verò סופר, ſive Græcum *γραμματεὺς*, quando officium politicum ſignificat, interdum ſuperiorem Scribam deſignat, qualis Principi à ſecretis eſſe ſolet, ſive ut loqui amat Corn. Nepos in Eumene, *quem ad manus habet Princeps Scribæ loco*, quod officium idem teſtatur *apud Grajos honorificum eſſe, & neminem ad id admitti, niſi honeſto loco, & fide, & induſtria cognita, quod neceſſe eſt omnium conſiliorum eum eſſe participem*; unde & id muneris *amicitiæ locus apud Philippum* vocatur ibidem: ſive qui in ſublimi alio munere civili excellit, in primis ejuſmodi, quod jam Cancellarii aut Conſiliarii Regii officium appellari conſuevit. Ita ſumitur ספרא Ezræ IV. 8. Et eodem modo *γραμματεῖς* apud LXX. item ספרוהי apud Syrum Interpretem, reſpondent Ebræo שוטרים, quod *Præfectos* notat, & cum *ἐργοδιώκταις* conjunguntur Exod. V. 6. nec non 1. Paral. XXIII. 4. ubi ſtatim *κριταὶ* ſeqvuntur. Videatur Seldenus de Synedriis Ebr. lib. I. c. 15. item lib. II. c. 5. ubi oſtendit pro שטרים, qui inter Judices populi ponuntur Deut. XVI. 18. reperiri in Samaritano

Quandoq; notat Scribam politicum. Et quidem ſuperiorẽ.

Locus Deut. XVI 18.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

tano textu ספרים *Scribas* ; apud Syrum ibidem ספרא, apud Arabem M.S. Pocokianum כתבא, voces utrobiq; *Scribas* de-ſignantes, ſicut & apud LXX. γραμματεισαγωγεῖς. Verſ. Hiſpan. Jud. Maurit. habet *Alguaziles*. Conſulatur & Sixt. Amamæ Cenſura Vulg. Verſ. ad Deut. I. 12. Sicq́; hoc no-men olim conveniebat illis, penes quos erant inſtrumenta & acta publica, ſive annalium, temporum, geſtorum, cen-ſuum, redituum, & aliornm id genus publica fides, nec non qui regiæ voluntatis interpretes & internuncii exiſtebant.

Alia loca V. T.

Tales fuere ספרי המלך *Scribæ Regii* Eſth. III. 12. & VIII. 3. qui in Targum Chald. לבלרין i. e. *libellarii* dicuntur, quâ voce barbarâ etiam in Talmud librarii denotantur, quos ibi in hiſtoria Eſtheræ vulgi ſermo *Secretarios Regis* vocaret. Con-ferantur loca 2. Sam. VIII. 17. & XX. 75. ubi Arabs Inter-pres pro סופר habet כאתב אלמלך *Scriba Regis*; 2. Reg. XVIII. 18. 37. XIX. 2. XXII. 3. 9. 10. 12. 1. Chron. XVIII. 16. ubi tamen Arabs reddit אלמעלם i. e. *Doctor*; 1. Chron. XXVII. 32. ubi conjunguntur duo tituli יועץ & סופר *Con-ſiliarius* & *Scriba*, atq; ambo rribuuntur uni viro Jonathani; 2. Chron. XXXIV. 15. 18. 20. Eſa. XXXVI. 3. Jerem. XXXVI. 12. 20. quibus in locis Diodati habet *il Segretario*, Vernac. noviſſ. edit. Canceleren; nec non 2. Reg. XII. 10. & 2. Chron XXIV. 11. ubi pro ספר המלך Arabs habet משיר אלמלך i. e. *Conſiliarius Regis*; Gallica Genev. *le Se-cretaire du Roy*: Vernac. noviſſ. Kongens Canceler; idq́; haud abs re, quandoquidem ille סופר ſummo Pontifici ibi præpo-nitur. Quin & סופר eum, qui exercitui præerat, & qui-dem cum ſumma ferè poteſtate, deſignat 2. Reg. XXV. 19.

Loca 2. Reg. XXV. 19. & Ier. LII. 25. explicantur.

& Jer. LII. 25. ubi סופר שר הצבא à Vulgato redditur *Scri-ba Princeps militum* (nempe apud Jeremiam; nam in priore loco vocem ספר pro nomine proprio perperam accepit) à Jonathane in Targum Chald. utrobiq; ספרא רב חילא i. e. *Scriba Magiſter Exercitus*, à LXX. Senibus poſteriore loco ὁ γραμματεὺς τῶν δυνάμεων, in priore verò loco alia interpretatio apparet; Syrus Chaldæum, Arabs verò LXX. Græcos in-

ter-

terpretando ſecutus videtur. Arias Montanus & Pagninus habent *Scribam Principem militiæ*, Hiſpan. Verſ. Jud. Mauritan. priore loco, *el eſcrivano principe del fonſado*; poſteriore autem, *el mayoral del fonſado*. Tigurina, *Scribam exercitus ex populo terræ in militiam conſcribendi officio* præfectum. Vernacula Reſenii Canceleren Strids Høffvitzmanden. Huic ulterius tribuitur in textu Ebræo, quod fuerit המצבא את עם הארץ i. e. *militare faciens*, ſive *ad militiam exercens populum terræ*: Vulg. *probans tyrones de populo*, cum quo convenit vernacula, Som øffvede Folcket; Suecica, then Lantzfolcket mønſtra plåghede: Jonathan Chald. הכנש ית עמא i. e. *congregans populum*, ſcil. ad bellum; LXX. priore loco ὁ ἐκτάσσων τὸν λαὸν, *qui ordinabat populum*; Syrus ibidem דמחילין הוו לעמא דארעא, *qui animum addebant populo terræ*, nempe bellum ſuſcipienti. Hiſpan. Jud. Maur. *el afonſadean al pueblo de la tierra*. R. David Kimchi ad prior. locum שעל פיו היו יוצאים העם לצבא, *ex cujus mandato populus procedebat ad bellum*. Sic 1. Macc. V. 42. inferiores exercitus Duces etiam γραμματεῖς nuncupantur. Conferatur locus Eſa. XXXIII. 18. ubi mentio fit τοῦ ספר & ספר את המגדלות *recenſentis turres*, quod officium ex ſententia Sal. Jarchii eſt, דבר מלכות ממונה על בתי המלכות כמה הם וכמה מגדלים צריך לעיר פלוני i. e. *munus regni, & quidem ejus, qui præfectus eſt caſtellis regiis, quæ ille in numerato habet, & quot turribus opus ſit alicui urbi.* Vid. Conſt. l' Empereur in annot. ad Bertram. de Repub. Ebr. p. 381. ſeqq.

Scribæ Principis militiæ officium.

Locus Eſa. XXXIII. 18.

VI.

AD hunc etiam Scribarum ordinem referendus videtur ille γραμματεὺς, qui turbam Epheſinam ſedaſſe perhibetur Act. XIX. 35. qui à Syro redditur רישא דמדינתא i. e. *caput* ſive *princeps civitatis*. Lud. de Dieu Gloſſarium allegat in h. l. ubi γραμματεὺς explicatur per *teſſerarius*, cujus munus fuiſſe ait *teſſeras tribuere, & militibus ſymbola dare, quod in urbibus præſidiariis Gubernatoris eſt, in cœteris primarii Conſulis. Et quum hic in urbe Epheſo deſignatur aliquis, qui abſolutè vocatur ὁ γραμματεὺς, meritò intelligitur Præfectus, qui militibus ſymbola & munia præſcribit.* Hinc variè redditur vox illa ab interpretibus, ut Arabe &

Ὁ γραμματεὺς Act. XIX. 35. qualis.

Æthi-

Æthiopico *Scriba*, Hiſpano *el Eſcriuano*, Gallis Genev. *le greffier*, Diodati Italo *il Cancelliere*, Luthero der Cantzler / Anglo *the Town-clerk*, Belgis Statz Secretaris / Jacobo Tirino *Syndicus urbis*, Corn. à Lapide *Conſiliarius Magiſtratus urbani*, Vernac. & Suecica Canceleren &c. Optimè verò hujus γραμματέως Epheſini munus explicaſſe cenſemus doctiſſimum Anglum

Verus nominis ſenſus h. l. John Gregory in libello, quem vocat *Notes and Obſervations upon ſome paſſages of ſcripture*, ubi cap. IX. docet, in ludis iſtis Olympicis, qui in honorem Dianæ tum Epheſi celebrabantur, quibus qui præerant *Aſiarchæ* appellantur eodem hoc capite Act. XIX. v. 31. tres in primis eminuiſſe, qui præcipuis officiis fungebantur, veluti oſtendit ex Domnino Chronographo, allegato apud Johannem Antiochenum MS. in Archivis Biblioth. Bodlej. in lib. 22. περὶ χρόνων Κομόδου βασιλέως καὶ παροχῆς Ὀλυμπίων Ἀντιοχείας τῆς μεγάλης. Tres verò illi erant, ὁ Ἀλυτάρχης, ὁ Γραμματεὺς, & ὁ Ἀμφιθαλής. Inter hos primus erat γραμματεὺς, qui deſcribitur, tanquam qui προεχειρίσθη πρῶτον ἀπὸ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δήμου, ὀνόματι Πομπειανὸς, Κουαίστωρ, ὁ ἐκ γένους συγκλητικῶν Ῥώμης ὑπάρχων, φορέσας στολὴν ἄσπρον, καὶ στέφανον ὁλόχρυσον, τύπῳ φυλλοδάφνων, ὅντινα ἐτίμων καὶ προσεκύνουν ὡς τινα Ἀπόλλωνα i. e. *primùm electus tum à ſenatu & populo, nomine Pompejanus, Quæſtor, genus ducens à Senatoribus Romanis, indutus ſtola candida, & geſtans coronam ex auro ſolido, figurâ foliorum lauri, quem honorabant & venerabantur alii tanquam Apollinem quendam.* Reliquos duos ſuſpiciebant iidem, Alytarcham quidem ceu Jovem, Amphitalem verò inſtar Mercurii.

Illius Scribæ officium. Γραμματέως illius officium fuiſſe videtur in ludis iſtis gymnicis, conſignare nomina agonothetarum, athletarum & τῶν ἱερονίκων, ſive eorum qui ſtadio vicerant, quorum indices reponebantur in loco, qui eam ob cauſam *grammatejum* vocabatur. Videndus hac de re Pet. Faber in *Agoniſtico* lib. III. c. 23. & 27. ubi veterem inſcriptionem Græcam, quæ Romæ in palatio Cardinalis Farneſii habetur, in hanc ſententiam explicat. Nec alia eſt de iſto Actorum

Similes Scribæ apud profanos. Apoſtolicorum loco mens eruditiſſimo alteri Anglo Henr. Hammondo in *Annot. upon the New Teſtament* ad h. l. Fortè ejuſmodi ſcriba erat, cujus meminit Apulejus Meta-

morph.

morph. lib. XI. *tum ex his unus*, *quem cuncti* Grammatéa *dicebant, pro foribus aſſiſtens, cœtu Paſtophorûm, quod Sacroſancti collegii nomen eſt, velut in concionem vocato, indidem de ſublimi ſuggeſtu, de libro, de literis fauſta vota præfatus, Principi Magno, Senatuiq; & Equiti, totoq; Romano populo, nauticis navibus, quæq; ſub imperio mundi noſtratis reguntur, renunciat, ſermone rituq; Græcienſi*, ita: λαοῖς ἄφεσις. Sic profectò magnæ quoq; dignitatis & autoritatis Scribam fuiſſe oportet, qui *cum Porſena Hetruſcorum Rege ſedens, pari ferè ornatu, multa agebat, quando ſtipendia militibus dabantur.* Quem Scribam Cn. Mutius Scævola, Regem occidere volens, per errorem pro Rege obtruncabat, docente Livio Decad. I. lib. 2. Quid ſi & ex hoc Scribarum genere fuerit Albinovanus ille, cui Horatius Epiſtolam ſcripſit, *comiti Scribæq; Neronis*? Plura de hujuſmodi, ut & aliis Scribis diverſis, ſcitu non indigna collegit Caſp. Barthius Adverſar. lib. L. c. 1.

VII.

INterdum verò eadem notio סופר, vel *γραμματεὺς*, deſignat Scribas inferiores ſive plebejos, qui actuarii erant, & notarii communes, in privatorum contractibus, pactis, aliisq; ejuſmodi actis conſignandis occupati, quales indice digito oſtendit Propheta Ezechiel c. IX. 2, 3. virum deſcribens, qui habebat קסת הספר במתניו i. e. *atramentarium* Scribæ *ad lumbos ſuos*, interprete Fr. Junio, Vulgato & Pagnino. Hiſpan. Verſ. Jud. Maur. eodem modo reddit, *tintero de eſcrivano*. Chaldæus aliter פנקס ספרא. Sed LXX. longè diverſo ſenſu vertunt *ζώνην σαπφείρε*, *zonam ſaphirinam*, nimis inconvenienter, tametſi eorum interpretamentum Syrus & Arabs quoq; ſequantur. Meliùs Caſtalio & Tigurini *atramentarium ſcriptorium*, Schindlerus & M. Marinus in Arca Noë, *atramentarium*, *calamarium*, R. Dav. Kimchi in *Miclol*, ut & in *Piruſch* h. l. כלי הדיו *vas atramenti*. Arias Montanus mavult *tabellam ſcribæ*, ſecutus Chaldæum, quod tamen non placet Kimchio, qui non vult intelligi נייר או לוח *papyrum* aut *tabulam*. Diodati *un calamajo*; Lutherus Schreibzeug / Belgæ *Inct-koker*, Piſcator *vaſculum ſcribæ*, Hiſpan. *la eſcrivania*, Gallus *le cornet de eſcrivain*, Anglus *a Writers inkhorn*, Vernac. & Suecica Skriffvetøy.

Scribæ inferiores, Notarii.

Locus Ezec. IX. 2. 3. explicatur.

Hanc verò vocis קסת, quæ nuſquam in ſacro codice extra hoc Ezechielis caput occurrit, interpretationem convenientiorem eſſe illâ, quam LXX. ſenes, Syrus & Arabs exhibent, oſtendit Prophetæ contextus, qui viro illi, cujus habitus heic deſcribitur, functionem talis Scribæ ſive Notarii tribuit, nempe quòd Deo mandante per medium urbis Ieruſalem tranſiturus eſſet, & ſignaturus Tau in frontibus omnium illorum, qui ſuſpiraverant ſuper abominationibus in illa factis, comm. 4. & 11. Ad ejuſmodi Scribam etiam reſpicit Rex Vates Pſal.

Locus Pſ. XLV. 2.

XLV. 2. dum linguam ſuam confert cum עט־סופר מהיר *ſtylo ſcribæ velocis*, ſive notarii expediti. Targ. Chald. habet קולמוס ספרא רגיל *calamus ſcribæ exercitati*, LXX. κάλαμος γραμματέως ὀξυγράφου, Syrus & Arabs, *Scribæ periti*; Kimchius explicat, *ſicut ſcriba ſine mora ſcribit, ita lingva mea volubilis eſt.* Suidas ad vocem γραμματεὺς notat, ὁ νοτάριος, τὸν τῶν ἀπορρήτων γραμματέα, ἀσηκρῆτις καλοῦσι τὸ ἀξίωμα Ῥωμαῖοι. Οὐδενὸς δὲ ἦσαν οἱ γραμματεῖς οὗτοι κύριοι, ἀλλ' ἢ τοῦ γράφειν καὶ ἀναγνῶναι. Conferatur & Harpocration in Lexico.

Alia loca V. T.

Tales etiam fuiſſe Scribas *Kinæos* illos, quorum mentio fit 1. Chron. II. 55. Beza, Fr. Junius, Spanhemius, & alii exiſtimant. Fallitur verò Nic. Serarius in *Tribæreſio*, quando ejuſmodi quoq; Scribas ſive tabelliones intelligi putat Ierem. XXXII. 10. 11. Nam nihil tale Prophetæ ibi in mentem veniſſe, oſtendit Ioſ. Scaliger in *Elencho* c. XI. Alium verò locum ceu convenientiorem allegat ipſe ex Ierem. VIII. 9.

VIII.

Scribæ Eccleſiaſtici qui & quales?

Quando verò noſtrum hoc vocabulum ad munus Eccleſiaſticum exprimendum adhibetur, tunc ejuſmodi ſcribam ſignificat, cujusmodi officium jam jam deſcripſimus §. VI. & prolixiùs depingitur à Sigonio de Republ. Ebr. lib. V. c. 10. Quo ſenſu ferè ſemper in N. T. vox γραμματεὺς uſurpatur. In primis autem legis interpretem & Doctorem publicum deſignat, unde tales γραμματεῖς τοῦ λαοῦ dicuntur Matth. II. 4. Iidem νομικοὶ appellabantur, veluti Ille, qui Chriſto quæſtionem propoſuit de maximo legis præcepto, εἷς τῶν γραμματέων dicitur Marco c. XII. 28. at νομικὸς i. e. *legis peritus* vocatur Mattheo c. XXII.

35. Adeo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

35. Adeò ut vel iidem fuerint apud Judæos Scribæ & Legisperiti, qui etiã νομοδιδάσκαλοι nominabantur Luc. V. 17. Act. V. 34. Unde Epiphanius Hæreſi XV. γραμματεῖς οἱ ἑρμηνευόμενοι νομοδιδάσκαλοι; & Syrus frequenter tam νομικὸν, quàm γραμματέα, eadem voce ספרא reddit; licet id non ſemper fiat, uti Scaliger *Elench. Trihær.* c. XI. aſſerere non dubitavit, cùm proximo Matthæi loco, ut & alibi, νομικὸς transferatur ידע נמוסא *ſciens legem.* Sic ille quem Paulus vocat Ζηνᾶν τὸν νομικὸν Tit. III 13. Syrus appellat ספרא, & Arabs באתב, quomodo & hic reddit νομικὸν loco jam allegato Matth. XXII. 35. Quin & amanuenſis Syris נומיקא dicitur à Græca hac voce νομικὸς. Unde Commentator Syrus ad illud Rom. XVI. 22. ἔγω Τέρτιος ὁ γράψας τὴν ἐπιστολὴν, annotat נומיקא הוא הנא דפולום *Scriba* ſive *amanuenſis hic erat Pauli*, teſte Lud. de Dieu anim. ad Tit. III. Vel ſi diſcrimen aliquod inter illos γραμματεῖς & νομικοὺς agnoſcendum eſt, Scribæ in theoria magis, & interpretatione Scripturæ literali, legisperiti autem in quæſtionibus practicis, & rebus huc ſpectantibus, induſtriam ſuam potiſſimùm occupaſſe cenſendi ſint. Atq; ita dici poterit, illis ferè Academicam, his verò Eccleſiaſticam functionem demandatam fuiſſe. Id quod Spanhemius Dub. Evangel. P. II. Dub. XXXIX. XL. n. 10. & Hottingerus Theſ. Philol. lib. I. c. 2. ſect. 1. ſtatuunt. Sanè ad Scribas defertur theoretica illa quæſtio, de loco nativitatis Chriſti Matth. II. 4. & ſimilis de Eliæ adventu diſquiſitio illis tribuitur Matth. XVII. 36. At νομικὸς erat, qui problema illud practicum Chriſto objecit, quid nimirum faciendum eſſet pro vita æterna impetranda Luc. X. 25. qui etiam eapropter ad legem, ceu objectum profeſſionis ſuæ adæquatum, à Chriſto remittitur comm. 26. ſeqq. Et quæſtionem de Sabbati obſervantia τοῖς νομικοῖς propoſuit Chriſtus Luc. XIV. 3. Tantum tamen inter illos intervallum extitiſſe, quantum Joſ. Scaliger, Chemnitius, Forſterus, Druſius, Jo. Camero, & Conſt. l'Empereur conſtituunt, locus Luc. XI. 44. 45. quem illi ſolicitant, nequaquam perſuadet. Quin potiùs contrarium inde elicere haud erit difficile. Nam cùm Servator, qui in præcedentibus ſolos Phariſæos acri invectiva

Iidem dicti ſunt νομικοὶ & γραμματεῖς.

Aut levicula inter eos differentia extitit.

Locus Luc. XI. 44. 45. explicatur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

vectiva notaverat, inde à comm. 39. demum comm. 44. Phariſæis & Scribis conjunctim væ denunciaret, excepit quidam τῶν νομικῶν, dicens comm. 45. *dum hæc loqueris, etiam nos contumeliâ afficis*; ſubjungit Chriſtus comm. 46. καὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς οὐαὶ &c. Niſi enim γραμματεῖς & νομικοὶ iidem fuiſſent, cur quæſo, quando Chriſtus ait, οὐαὶ ὑμῖν γραμματεῖς, nullâ τῶν νομικῶν mentione factâ, ille νομικὸς Chriſtum invaſiſſet, & quod ab ipſo de Scribis dictum fuerat, ad ſuum ordinem applicâſſet? Et hinc non modò Syrus utramq; vocem Græcam unâ Syriacâ ספרא reddit, eamq; ter repetit tribus illis commatibus jam allegatis, quod etiam faciunt tres vernaculæ verſiones noſtræ, ter heic iterantes eandem vocem Skrifftekloge/ item Lutherus Skrifftgelehrten; ſed & Arabs τοὺς νομικοὺς, quos v. 45. אלנאמוסיין *legis peritos* vocaverat, eosdem v. 46. אל־כתבת i. e. *Scribas* interpretatur, quo nomine τοὺς γραμματέας etiam deſignaverat v. 44. Imò quam heic τοῖς νομικοῖς dicam ſcribit Servator v. 46. & 52. nempe quòd oneraverint homines oneribus gravibus & δυσβαστάκτοις, ipſi verò ne digitô quidem ea attigerint; item quòd nec ipſi introire voluerint in regnum cœlorum, nec alii ut introirent permittere: eandem τοῖς γραμματεῦσιν impingit iiſdem verbis Matth. XXIII. 4. & 13. ſicq; eadem prædicata illis tribuendo, eoſdem fuiſſe ipſos demonſtrat. Unde etiam Epiphanius eos pro iiſdem habuit Hæreſ. XV. quæ eſt Scribarum, & XVI. quæ eſt Phariſæorum: cujus tamen mentem haud aſſecutus videtur Scaliger *Elench. Trihær.* c. XI. Conſulatur Dion. Petavius in Animadverſ. ad utramq; Hæreſin.

Epiphanii ſententia.

IX.

Scribæ, Theologi Critici.

COeterùm etſi ſcribarum noſtrorum officium olim ſuo ambitu complura munia complexum fuerit, inter quæ haud poſtremum erat, quòd Theologi Critici extiterint, ſive Maſorethæ, ut vocant, & nativæ S. literarum integritati conſervandæ ſolicitam operam adhibuerint, veluti id in primis de Scribarum Coryphæo Ezra, & divinis ipſius collegis, qui *viri Synagogæ magnæ* dici ſolent, poſt magnum Buxtorffium in *Commentario Maſorethico*, ante novennium probatum dedimus, *noſtro in librum Ezræ veſtibulo Philologico*: tamen princeps & præ-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

Princeps Scribarũ officium.

præcipuum illorum ἔργον fuiſſe, populum docere, & ſcripturam publicè prælegere & interpretari, ipſa divina monumenta paſſim teſtantur. Chriſtus Matth. VII. 29. confertur cum Scribis in docendo, & laudatur, tanquam qui illos doctrinâ ſuperaverit, ὡς ἐξουσίαν ἔχων, καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς. In cathedra Moſis ſediſſe dicuntur, & ad doctrinam eorum obſervandam homines mandato Chriſti obſtringuntur Matth XXIII. 2. 3. Itaq; Doctores erant Cathedrarii, veluti Philoſophos appellat Seneca. Et quidem ſedentes docebant in Synagogis, ſicut in Eccleſiis Chriſtianorum Epiſcopi, teſte Clemente Conſtit. lib. II. c. XI. & Optato Milev. lib. V. Stabant tamen, quando verba Scripturæ libro aperto prælegebant, veluti de Ezra perhibet Nehemias c. VIII. 4. 5. Clauſo verò libro ſedentes verba faciebant, ut exemplo Chriſti patet Luc. IV. 20. Videatur Grotius ad Matth. XXIII. 2. Apoſtolus magnam illis ſcientiæ & autoritatis exiſtimationem adſcribit Rom. II. 17. 18. ſeq. nempe quòd fuerint δοκιμάζοντες τὰ διαφέροντα, κατηχούμενοι ἐκ τοῦ νόμου, quodq; ſibi viſi ſint ὁδηγοὶ τυφλῶν, φῶς τῶν ἐν σκότει, παιδευταὶ ἀφρόνων, διδάσκαλοι νηπίων, ἔχοντες τὴν μόρφωσιν τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας ἐν τῷ νόμῳ: item quòd fuerint διδάσκοντες ἑτέρους καὶ κηρύσσοντες &c. Hinc ſalutati ſunt, & ſalutari deſiderârunt Ῥαββί, ut & καθηγηταί, *Magiſtri* & *Doctores* Matth. XXIII. 7. 8. 10. Uterq; titulus faſtu pleniſſimus. Prior enim eminentem ſonat, & qui multorum ſit inſtar, in primis ſi geminetur, ut comm. 7. Hunc hodie affectant illi, qui apud Romanenſes Scribis ſucceſſere (quod Gilb. Genebrardus agnoſcit, ipſe Pontificius, & Sorbonicus Doctor) dum hi titulum amant *Domini Magiſtri noſtri*. Poſterior notat Ducem vel Ductorem, quod Syrus reddit מדרכנא *Rectorem*, Arabs מדברא *Gubernatorem*, quem Perſica verſio ſequitur. Æthiopica verò Doctorem exprimit, reſpiciens forſan ad vocem διδάσκαλος, quæ loco τοῦ καθηγητὴς v. 8. invenitur in quibuſdam codicibus Græcis, ut Montfortiano, Colleg. Emman. Cantabr., tribus Stephani, Colleg. Lincoln. Oxon. Coll. Novi Oxon. & Googiano, veluti obſervatum eſt in variantibus lection. N. T. adjectis in appendice Bibliorum πολυγλώττων Waltonianorum. Sic Evangeli-

Sedentes docebant.

Eorum tituli.

Locus Mat. XXIII. 7. 8. 10. explicatur.

Καθηγητὴς quid ſit? gelium Matthæi Ebraicum à Munſtero & Quinquarboreo editum h. l. habet מלמדים i. e. *Doctores.* Eſt verò καθηγητὴς idem ferè quod ὁδηγὸς, ſive *dux viæ* Druſio, & comprehendit duo officia magiſterii, nempe doctrinæ traditionem, & vitæ morumq; gubernationem, docente Gerhardo in Harmonia ad h. l. Lud. de Dieu judicat id reſpondere Ebræo נגיד, quod non modò Præſides politicos ſignificat, ſed & Antiſtites Eccleſiaſticos, ut 2. Paral. XXXI. 13 ubi Azarias dicitur נגיד בית האלהים, *Antiſtes domus Domini*, LXX. ἡγούμενος οἴκου κυρίου: Jerem. XX. 1. פקיד נגיד בבית יהוה *Præpoſitus præſes in domo Dei*; Jonathan Chald. ממנא סגן כהנא בבית מקדשא *conſtitutus princeps ſacerdotum in domo Sanctuarii*; Syrus פקודא ושליטא *Inſpector* & *Præfectus.* Atq; ita Chriſtus, qui heic dicitur εἷς καθηγητὴς ὁ Χριστός comm. 10. κατ᾽ ἐξοχὴν appellatur משיח נגיד *Meſſias Dux* Dan. IX. 25. LXX. Χριστὸς ἡγούμενος; item נגיד ומצוה לאמים, *Dux & Præceptor populorum* Eſa. LV. 4. ubi Syrus iterum habet ſuum מדברנא *Rectorem*, LXX. ἄρχοντα καὶ προστάσσοντα ἔθνεσι.

X.

Loc° Mat. XXIII. 34. explicatur. PORro hos γραμματέας Chriſtus conjungit cum τοῖς προφήταις καὶ σοφοῖς Matth. XXIII. 34. Æthiops addit *Apoſtolos*, quod heic in Græco non eſt, ſed extat loco parallelo Luc. XI. 49. Et heic quidem diſtingvere videtur Chriſtus Scribas à Prophetis & ſapientibus, tametſi in Targum Chald. vox ספרא frequenter reſpondeat Ebrææ נביא Prophetam denotanti. Quod etiam Elias Levita obſervavit in ſuo *Meturgeman* ad vocem ספר, dum ait, לשנא נביא דבנביאים על הרוב מתורגם ספר, *ſignificationem Prophetæ habet, quia in Prophetis plerumq; Targum Prophetam reddit per Scribam.* Et ad vocem נביא inquit, על הרוב כל נביא ונביאים שבמקרא מתורגמים בלשנא ספר או בלשנא מלף i. e. *ut plurimum voces Propheta & Prophetæ, quæ in Bibliis occurrunt, in Targum redduntur per voces Scribæ vel Doctoris.* Exceptionem tamen addit Elias de illuſtribus nonnullis Prophetis. Scribæ iidē cum σοφοῖς. Quin & Scribæ quoq; τοῖς σοφοῖς reſpondent, teſte eodem Elia in ſuo Thisbite, voce *Saphar*, dum ait: סופרים הם חכמים הנקראים גם הם רבנים וגו i. e. *Scribæ ſunt ſapientes,*

tes, qui & alio nomine Rabbanim vocantur &c. At Rabbanim ſunt Magiſtri ſive Doctores maximè excellentes. Hinc Druſius Quæſt. Ebr. lib. III. c. 57. dicit Scribam idem eſſe, quod *Sapiens* aut *Magiſter*, eoq; ſenſu ſumi apud Hieronymum in Math. VIII. & Epiſt. 142. Paulus inſuper conjungit, ſed non confundit, Scribam noſtrum cum σοφῷ, & cum συζητητῇ τοῦ αἰῶνος τούτου 1. Cor. I, 20. Illuſtris Scaliger in *Elench. Trihæreſ.* cap. XI. notat, Paulum heic alluſiſſe ad tria Doctorum genera, qvæ eâ tempeſtate inter Judæos obtinebant, nempe חכם סופר דרשן. Et Syrus quidem ibi συζητητὴς interpretatur דרושא *Diſputatorem*, Arabs משתפחץ *profundum inquiſitorem*, pro qvo Æthiops & Vulgatus habent inconvenienter *conquiſitorem hujus mundi*. Sed non ſemper diverſos eſſe סופר & חכם, Scribam & Sapientem, jamjam monuimus. Differt verò συζητητὴς, qui rationibus cum aliis collatis diſquirit, ſicuti vis vocis Græcæ juxta ac Syriacæ patet è collatione loci Mar. IX. 16. & qui in acutiſſimis quibusvis quæſtionibus expendendis, in primis myſticis, allegoricis & anagogicis explicationibus, omnem ætatem conſumit. Nam ſicut commentatio ſubtilis, quæ à ſenſu Grammatico ac literali, tanquam obvio & ante pedes poſito, recedit, & myſticum, ceu ſublimiorem, conſectatur, Ebræis מדרש vocari ſolet, nempe Elia Levita Interprete פירוש שאינו על דרך פשוט i. e. *expoſitio quæ non ſimplice ratione conficitur*, ſed quæ fieri dicitur כדרך דרש *ſecundum ſenſum reconditum*, vel *allegoricè*, uti Mercerus interpretatur Aben Ezram comm. in Hoſ. IV. 3. cujus abuſum damnat Apoſtolus 1. Tim. I. 4. Tit. I. 14. ita Doctores, qui hoc in ſtudio occupabantur הדרשנים, ſive בעלי הדרש vocari ſolebant (idem nempe quod apud Syrum eſt דרושא) & domos habebant plures Hieroſolymis, in celeberrima illa gentis Judaicæ Academia, ubi docebant: quæ ædes dicebantur בתי המדרשות i. e. *domus myſticarum diſquiſitionum*. Conſulatur Buxtorfii Lexicon Chald. Talmud. Rabb. in rad. דרש. Diſcrimen proinde fuit inter hos συζητητὰς & γραμματέας, quandoquidem hi ſenſui Scripturæ Grammatico & literali adhærebant, eumq; populo exponebant, verbis ad captum vulgi accommodatis, τὸ ῥητὸν reti-

Locus 1. Cor. I. 20. expenditur.

Συζητητὴς quid ſit?

Diſcrimen inter γραμματέας & συζητητὰς.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

retinentes, & loquentes ἀμαθέστερον καὶ σαφέστερον; optimô ſanè & ſaluberrimô inſtitutô, quod antiquitus obtinebat, antequam curioſi & malè feriati homines pernicioſam illam allegorias paſſim fingendi conſuetudinem inveherent. Videatur Nic. Fullerus Miſcell. Sacr. l. III. c. 7. ubi & Druſii interpretatio, de חכמי המחקר i. e. *peritis ſcientiæ Phyſicæ* ab Apoſtolo h. l. indigitatis tanquam ἄτοπος rejicitur. Conferantur etiam Camero & Lud. de Dieu ad h. l. Tandem his quoq; Scribis &

Clavis ſcientiæ Luc. XI. 52. quid?

legis peritis Chriſtus Luc. XI. 52. tribuit τὴν κλεῖδα τῆς γνώσεως *clavem ſcientiæ*, quam eos ſuſtuliſſe & ſibi vendicâſſe affirmat. Erat verò hæc clavis apud Judæos inſigne Doctoratus, ſive dignitatis doctoralis eminentis, quando nimirum cum pugillaribus erat conjuncta. Unde de quodam Rabbi Samuele ſcribunt illi, בשמת נתנו מפתחו ופנחסו בארונו מפני שלא זכה לבן i. e. *quod poſtquam mortuus eſſet ipſe, poſuerint clavem & pugillares ejus in loculo ipſius, eò quod non meruiſſet habere filium*, ſcil. cui hæc Doctoratus inſignia poſt ſe relinqueret. Quam obſervationem debemus eruditiſſimo viro Joh. Cameroni *in Myrothecio Evang.* ad h. l. Atq; ob hæc munia Scribarum pro-

Alii Scribarum tituli.

pria, meritò illi ſalutantur ἱερογραμματεῖς i. e. *Sacri ſcribæ* Joſepho Antiq. II. 5. ἐξηγηταὶ τοῦ νόμου eidem ſæpiùs; מורים *Doctores*, præſertim quia תורה *legem* docebant; Rabbinis בעלי מקרא i. e. *ſcripturarii* vel *textuales*, diſtincti à בעלי תלמוד i.e. *Talmudiſtis*, teſte Druſio de III. Sectis lib. II. c. 13. νομοδιδάσκαλοι, δευτερωταὶ τοῦ νόμου, γραμματικὴν τινὰ ἐπιστήμην ὑφηγούμενοι &c. Epiphanio Hæreſ. XV. De talibus loquitur Syracides c. XXXVIII. 26. σοφία γραμματέως ἐν εὐκαιρίᾳ σχολῆς. i. e. *ſapientia Scribæ in oportunitate otii.* Quod verò cum autoritate,

Autoritas & poteſtas Scribarū.

quâ magna inter cives ſuos pollebant, uti vel unius Gamalielis exemplo conſtat Act. V. 34. etiam judiciariam quandam poteſtatem conjunctam obtinuerint, id è verbis Chriſti Matth. XX. 18. & Marc. X. 33. apparet, quibus ipſe ſe Scribis unà cum Pontificibus traditum atq; condemnatum iri prædicit. Unde colligere licet, quod etiam Scribæ pars Synedrii fuerint, quod & Grotio placet in Matth. II. 4. & Sigonio de Rep. Ebr. l. VI. c. 6. & Seldeno de Synedriis Ebr. lib. II. c. 5. 6. Fortè

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

eò pertinebant οἱ πρωτεύοντες γραμματεῖς, *primores Scribæ*, in quorum numero ponitur quidam Eleazarus 2. Macc. VI. 18 ubi Syrus habet רישא דספרא *Princeps Scribarum*. Aliàs omnes Scribæ, tam in Synagogis, quàm in conviviis prima loca appetebant Matth. XXIII. 6.

XI.

Ordo Scribarum quando exortus?

AD originem horum Scribarum quod attinet, nec eorum opinionem admittimus, qui illorum ordini parem cum lege Moſaica vetuſtatem largiuntur, fruſtra urgentes vim vocis מחקק Gen. XLIX. 10. quæ non νομοδιδάσκαλον proprie, ſed νομοθέτην deſignat. Sacerdotum enim olim munus erat legem interpretari. Nec cum iis facimus, qui vel ad Davidis, vel ad Joſaphati ætatem horum natales referunt, quia neutrum ullâ veri ſpecie ex Hiſtoria ſacra exſculpi poterit, cum ibi nulla ἱερογραμματέων noſtrorum mentio occurrat. Neq; cum aliis eorum initium in tempora nativitati Chriſti proxima, quibus Hillel & Sehammai floruere, rejicimus, quod commentum ortum ex falſa traditione Nazaræorum, ab Hieronymo in Eſa. VIII. commemorata, fidei ſacrorum codicum adverſatur. Verùm eorum ſententiæ accedimus, qui mox poſt ſolutam captivitatem Babylonicam Scribarum ordinem introductum eſſe ſtatuunt, ſub initiis templi ſecundi, eâ ferè tempeſtate, quâ Prophetiæ donum in Malachia exſpiravit, & Sacerdotes, quorum aliàs id ἔργον erat, deteſtabili πολυπραγμωσύνης vitio obnoxii, plus negotiis politicis ac civili gubernationi, quàm legis meditationi, & plebis inſtitutioni vacare cœperunt. Unde occaſio nata eſt, imò neceſſitas, ut nobilem ſacri miniſterii partem, à Sacerdotibus aliud agentibus neglectam, Scribæ capeſſerent. Horum verò Anteſignanus facilè fuit, & fortaſſe ordinis iſtius autor, vel ſaltem inſtaurator, divinus Ezras, Prophetarum Haggæi, Zachariæ, & Malachiæ σύγχρονος, qui eapropter non modò ספר ſæpiùs appellatur, ſed & cum elogio סופר מהיר *Scriba velox in lege Moſis, quam dedit Dominus Deus Iſraëli* Ezr. VII. 5. item ἀναγνώστης τοῦ νόμου in libro Ezræ tertio c. VIII. 9. 10. 21. Qui titulus aliis quoq; Scribis convenit, quia fuerunt tanquam S. Scripturæ Lectores publici; unde & Chri-

Eorum anteſignanus Ezras.

Ezræ elogia.

ſtus quærit à *νομικῷ* illo Luc. X. 26. *πῶς ἀναγινώσκεις* i. e. *quomodo legis*, quomodo profiteris munus Lectoris, ſi neſcis illud quod in lege ſcriptum eſt, de præcepto pro impetranda vita æterna obſervando. Ezras verò etiam hoc encomio ornatur Ezr. VII. 10. *quod diſpoſuerit cor ſuum ad inquiſitionem legis Domini, & ad docendum ac præſtandum in Iſraële ſtatutum ac judicium*; & v. 11. quod fuerit הכהן juxta ac הספר, *Sacerdos ille & Scriba*, nempe ספר דברי מצות יהוה וחקיו על ישראל i. e. Interprete Fr. Junio, *peritus rerum, quas præcepit Dominus, & ſtatutorum ejus in Iſraële*: Imò comm. 12. ab Ataxerxe Rege Perſarum in Epiſtola Aramæa ipſi inſcripta ſalutatur ספר דתא דאלהי שמיא גמיר *Scriba legis Dei cælorum conſummatus*. Quomodo verò ille legem publicè prælegerit populo, & quidem in altiore cathedra conſtitutus, videre eſt Nehem. VIII. 3. 4.

Scribarum inſtitutum non erat ſecta.

Quocirca duplici nomine falluntur, qui Scribarum inſtitutum pro ſecta habent. Nam primò nomen officii ac ordinis fuit ea notio, veluti jamjam oſtendimus; adeoq; Scribæ à Card. Baronio perperam ſtatuuntur ſectæ Phariſaicæ pars ſive membrum fuiſſe, in quam ſententiam è loco Act. XXIII. 9. malè intellecto adductus fuit, veluti egregiè docet Iſac. Caſaubonus Exerc. I. adv. Baronium ſect. IX. Unde poterant Scribæ è tribus illis ſectis amplecti, quæcunq; cuilibet maximè placeret.

Scribæ diverſi à Phariſæis.

Benè Theophilactus ad Luc. XI. diſtingvit Phariſæos à Scribis; quod illi eſſent inſtar Monachorum, qui ſe ab aliis ſegregabant: hi verò eſſent Doctores, qui quæſtiones legis ſolverent. Alph. Toſtatus in Matth XXIII. quæſt. 12. diſcernit eos eô modô, quô differunt *Grammaticus & Dialecticus, qui tametſi diſtingvantur, tamen idem poteſt eſſe Grammaticus ſimul & Dialecticus. Sic Phariſæum eſſe, erat habere certum vivendi modum & ſectam. Scribam eſſe, erat eſſe ſapientem in lege. Et tamen accidit eundem eſſe Phariſæum & Scribam*, i. e. *doctum in lege*. Hinc Petavius Anim. in Epiphan. Hær. XV. Cardinali, Eccleſiæ ſuæ primati, contradicere haud dubitat. *Scribæ*, ait, *pleriq; Phariſæi, non tamen omnes: quemadmodum inter Theologos nonnulli Monachi, & arctioris vitæ profeſſores*.

Sectæ recentiores ortu Scribarum.

Deinde etiam ſectarum Judaicarum natales Scribarum origine recentiores ſine dubio ſunt.

Nam

Nam ſectæ poſt exceſſum demum Prophetarum exortæ creduntur, quando Judæi omni idololatria, ob captivitatis diuturnæ & ærumnoſæ memoriam, prorſus excuſsâ & relictâ, in partes abire cœpere, & in factiones dividi, liteſq; non neceſſarias de religione, doctrinæ partibus, aut externo cultu ſerere, cùm his decidendis componendiſq; nullus amplius Propheta Θεόπνευστος ſupereſſet, cujus autoritate pervicaces homines coërcerentur. Cujus mali principium ipſi quidem Judæi ad Sanballatum Cuthæum, ejuſq; generum Manaſſen Judæum referunt in *Juchaſin* p. XIV. 2. Inde natæ diſputationes, ceſſantibus oraculis Propheticis, & contrariæ ſententiæ exortæ; imò accedente pertinacia & ambitione, ſectæ ac hæreſes. Ea verò diviſio in familias abiit, Duces cum tempore nacta famoſos, Hillelem & Schammai, indeq; tres illas propagines peperit, Phariſæorum, Sadducæorum, & Eſſæorum. Id quod Caſaubono, Cunæo & Spanhemio antea eſt obſervatum. At Scribarum veſtigia multò antiquiora in hiſtoria V. T. deprehenduntur, quæ in ætate captivitati proxima modò oſtendimus. Et poſtea etiam in hiſtoria Maccabaica eorum mentio occurrit 1. Macc. V. 42. VII. 12. & 2. Maccab. VI. 18. De quibus etiam intelligendum venit, quod dictum eſt à Jacobo Apoſtolo Act. XV. 21. Μωσῆς ἐκ γενεῶν ἀρχαίων κατὰ πόλιν τοὺς κηρύσσοντας αὐτὸν ἔχει, ἐν ταῖς συναγωγαῖς κατὰ πᾶν σάββατον ἀναγινωσκόμενος. Cujus moris ſcripturam publicè legendi vel autores ac principes, vel ſaltem reſtauratores fuiſſe Ezram Scribam, & Collegas ipſius divinos, Elias Levita *præfationibus ſuis in Maſoram*, & R. Gedalias in *Catena Cabalæ* affirmant. Videatur Buxtorfii *Tiberias* Cap. XI.

Scribæ circa ſolutam capt. Bab. extitere.

XII.

SCribæ hi noſtri Eccleſiaſtici veluti è quavis tribu originem ducere poterant, nec erant præcipuè è tribu Levi oriundi, quod perperam annotârunt Beza ad Matth. II 4. & l' Empereur in notis ad Bertramum de Repub. Ebr. p. 427. cum loca, quæ hic ſolicitat, nihil tale perſuadeant: nec de tribu Simeonis, uti Pſeudo-Jonathan Chaldæus, & R. Salomon Jarchius ad Gen. XLIX. 3 nugantur, quod commentum exploſit

Scribarum ordo non ad certam tribum reſtrictus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

Drüſius de tribus Sectis lib. II. c. 12. Ita neq; in ſola urbe Hieroſolymitana reperiebantur, ſed in omnibus Judææ locis, ubi Synagogæ erant, eos offendere licebat, veluti liquet è Matth. XV. 1. & Marc. III 22. ubi mentio fit γραμματέων τῶν ἀπὸ Ἱεροσολύμων, ad diſtinctionem eorum, qui aliis in urbibus vivebant.

Priſcus eorum habitus.

Eorum inter Judæos priſcum habitum deſcribit Epiphanius Hær. XV. nimirum quod geſtaverint στολὰς, vel ἀμπεχόνας, pallia quædam, habentia τέσσαρα πλευρύγια, *quatuor angulos*, è quibus pendebant ῥοΐσκοι i. e. *corymbi*, vel *globuli* malis punicis ſimiles: quam veſtem ait ſimilem fuiſſe Dalmaticis, vel colobiis, quæ & amplioribus ex purpura ſegmentis erat intexta, & ab illis uſurpabatur, tanquam ſignum πολιτείας, ſive inſtituti ipſorum, cùm fuerit ea ad pompam & oſtentationem captandaq; ſpectantium præconia compoſita.

Epiphanii opinio ea de re.

Verùm quod ad ῥοΐσκους illos attinet, in eo hallucinatum eſſe Epiphanium cenſet Scaliger *Elench. Trihær.* c. VIII. quòd eos ſummus Judæorum Pontifex ſolus in ora tunicæ geſtaverit, & quidem non niſi in templo, atq; ἐν στολισμῷ ἁγίῳ. At Petavius exiſtimat, hos diverſos ab illis eſſe potuiſſe, cum numero, tum materiâ aliiſq; id genus: ſicut differebat Ephod ſummi Sacerdotis ab Ephod cœterorum Sacerdotum & Levitarum, imò & Laicorum, *Animadverſion. in Epiphan. Hær* XV. Id quod nos in medio relinquimus. Forſan eâdem veri ſpecie Targum poſterius libri Eſther, ante ſeptennium à Franc. Tailero Anglo Latinè editum, tribuit Ahaſvero Regi Perſarum ejuſmodi veſtem habentem IV. angulos, à quorum ſingulis tintinnabulum aureum & malogranatum pendebant, cap. VI. 10. Somnium planè nugatore Apella dignum.

XIII.

Qvalis Scriba hoc loco intelligatur.

Ejuſmodi γραμματέα, qualem jam deſcripſimus, Servator heic intelligit, quem interpretes Latini reddunt *Scribam*, excepto Caſtalione, qui habet *eruditus*; Syrus ספרא, Arabs כאתב, vocibus itidem Scribam exprimentibus, quales etiam exhibent tranſlationes Æthiopica, Perſica, Hiſpanica, Italica, Gallica, Anglica: Lutherus Schrifftgelehrten/ quem Belgica & Suecica ſeqvuntur. Vernaculæ noſtræ Skrifftlärd.

Quod

Quod verò Chriſto juxta ac Prophetis familiare eſſe ſolet, ut nominibus in Synagoga V. T. Judaica receptis quandoq; deſignent cum dona, tum munia, quæ in Eccleſia N. T. Chriſtiana futura eſſent, id heic quoq; factum obſervare licet. Sic enim Joël II, 28. & Act. II. 17. gratioſa & extraordinaria Spiritus S. dona in N. T. ſuper Apoſtolos eorumq; diſcipulos effuſa exprimuntùr per vocabula V. T. propria, ut per προφητεύειν, ὁράσεις ὄψεσθαι, & ἐνύπνια ἐνυπνιάζεσθαι, qui modi divinæ revelationis inter illos erant, quibus Deus olim uſus fuit πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως λαλήσας τοῖς πατράσιν Ebr. I. 1. Sic Eſa. LXVI. ubi gratia N. T. præfiguratur, inter alia promittit Dominus, ex variis iſtis gentibus & nationibus, quas ad Eccleſiæ communionem ſe vocaturum prædicit comm. 18. 19. 20. ſe quoq; aſſumpturum לכהנים ללוים *in Sacerdotes, in Levitas*, i. e. miniſtros novo fœderi convenientes. Atq; ita heic etiam voce γραμματέως ſynagogæ Judaicæ uſu receptâ, munus miniſtrorum Eccleſiæ Chriſtianæ deſignat Chriſtus, & tam Apoſtolos indice digito demonſtrat, quam eos omnes, quos Paulus nomine τῶ διακόνων καινῆς διαθήκης commendat 2. Cor. III. 6.

Nomen à Synagoga ad Eccleſiam tranſlatum. Sicut aliis in locis.

Qui verò heic Scribæ vocantur, eoq; titulo apud Judæos gaudebant, illi à Chriſtianis appellari ſolebant διδάσκαλοι i.e. *Magiſtri*, ſive *Doctores*: tametſi & hæc notio ſynagogæ Judaicæ magiſtris tribuatur Luc. II. 46. Ioh. III, 10. Rom. II. 20. imò ipſi quoq; Doctorum Doctori Chriſto Matth. VIII. 29. IX. 11. Ioh. XIII. 14. Sed frequentiùs tamen de Doctoribus N. T. uſurpatur, ut de ipſis Apoſtolis 1. Tim. II. 7. & 2. Tim. I. 11. ubi Paulus ſemetipſum vocat διδάσκαλον ἐθνῶν, conjunctâ voce cum κήρυξ & ἀπόστολος: tum & de aliis quibuſvis Eccleſiæ Chriſtianæ Magiſtris Act. XIII. 1. 1. Cor. XII. 28. 29. Eph. IV. 11. Iac. III. 1. Ebr. V. 12. Videatur Beza ad Act. XIII. 1.

Aliàs Chriſtianis dicebantur διδάσκαλοι.

XIV.

VErùm ne falsò ſibi perſuaderet talis N. T. Doctor, ſatis eſſe, ſi eâ legis ſcientiâ, rerumq; eò pertinentium cognitione ſit inſtructus, ut Scribæ nomen mereri & obtinere poſſit, addidit Chriſtus ſubiecto γραμματεὺς inſignem differentiã quâ illum à Scribis iſtis legalibus, populi Judaici magiſtris diſcerneret,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

neret, requirens in eo, ut ſit μαθητευθεὶς εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. Verbum μαθητεύω, quod in novo inſtrumento quater invenitur, bis activam ſignificationem habet *docendi* ſive *diſcipulos faciendi* Matth. XXVIII. 29. & Act. XIV. 21. ubi valet *doctrinam fidei tradere*, & *primis Chriſtianæ religionis elementis imbuere*, ſive *docendo ad fidem Chriſtianam adducere*, unde Ioh. IV. 1. explicatur per μαθητὰς ποιεῖν, & Syrus ac Arabs apud Matthæum μαθητεύσατε reddunt תלמדו, Perſicus interpres ibidem *ad fidem ac religionem meam reducite*. Tigurini *diſcipulate*, ad verbum; Verſio Germ Socinianorum machet zu Jüngern. Æthiopicus μαθητεύσαντες in loco Actorum vertit, *introduxerunt multos*, ſcil. in domum Dei, & ovile Chriſti. Tigurini *diſcipulos adſciverunt*, Verſ. Germ. Socin Viel Jünger gemacht. Differt verò à διδάσκω, quia μαθητεύειν eſt eos docere, qui à magiſterio & doctrina noſtra alieni ſunt, ut diſcipuli reddantur: at διδάσκειν eſt docere eos, qui jam diſcipuli redditi ſunt, & noſtro magiſterio addicti. Quanquam optimè concurrant duæ iſtæ notiones Matth. XXVIII. 19. 20. ubi utraq; locum habet. Deinde & paſſivâ ſignificatione adhibetur Matth. XXVII. 57. ubi de Ioſepho Arimathæenſi dicitur, quod ἐμαθήτευσε τῷ Ἰησοῦ, *diſcipulum ſe præbuerit Ieſu*, vel *diſcipulus fuerit Jeſu*, ut Beza & Tigurini reddunt, vel ut Caſtalio, *è diſciplina Jeſu*. Syrus הו אתתלמד הוא לישוע, eodem ſenſu, ſicut & Arabs ac Perſa.

Verbi μαθητεύω genuina ſignificatio.

Participii noſtri nativa vis.

Participium verò noſtrum μαθητευθεὶς majus aliquid deſignat, quàm vel διδαχθεὶς, vel παιδευθεὶς, vel πεπαιδευμένος, judice Eraſmo, quod tum de Moſe dicitur, in omni Ægyptiorum ſapientia inſtituto Act. VII. 22. tum de Paulo ad pedes Gamalielis educato, & ad ἀκρίβειαν patriæ legis erudito Act. XXII. 3. Unde nec Ebræum participium *pyhal* מלמד, quod in Evangelio Matthæi Ebr. Munſteri & Quinquarb. h. l. extat, ejus emphaſin exhaurit, quod alias occurrit in fontibus 1. Paral. XXV. 7. ubi ei apud LXX. reſpondet δεδιδαγμένοι. Nec alterum ejuſdem formæ מחכם, quod invenitur Pſalm. LVIII 6. nativam illius vim exprimit, quamvis ita Grotio videatur. Nam hoc participium LXX. ibi reddunt per σοφὸς. At μαθητευθεὶς eſt, qui alicujus diſciplina eſt imbutus ex profeſſo,

&

Arabica verſio expenditur.

& relationem habet ad eum, cui ſe diſcipulum præbuit. Arabicam verſionem h. l. Pet. Kirſtenius in notis ad Evangel. Matth. ante 50. annos editis, ita intellexit, ac ſi verbum יתלמד activa ſignificatione ſumeretur, & ſenſus eſſet, *Scriba qui docebit*: id quod ipſi magis placet, & contextui convenientius videtur, quàm paſſivus ſenſus in reliquis lingvis, nempe *doctus*. Sed fallitur procul dubio Kirſtenius, dum verbum Arabicum activè interpretatur, fortaſſis à Raphelengio deceptus in Lex. Arab. Fallitur quoq; Corn. à Lapide, qui Arabem interpretatur, *qui docebit pro regno cœlorum*. Nam verbum quadriliterum תלמד ortum ab Ebræa radice למד, interprete doctiſſimo Golio in *Lexico Arab. Lat.* eſt *diſcipulus fuit*, unde תלמיד *diſcipulus*. Adeóq; Latina verſio, quæ Arabicum textum ad verbum exprimit, in Bibl. Polygl. Walton. h. l. habet, *qui diſcipulus fit regno cœlorum*. Neq; activa ſignificatio textui magis conſentanea eſt, quàm paſſiva, ut vult Kirſtenius, ſed vice verſâ. Græcum verò μαθητευθεὶς Beza, Tremellius, Caſtal. & Piſcator reddunt *edoctus*, Gall. Genev. *bien apprins*, & in margine, *docteur bien ſuffiſant*, Angl. *inſtructed*, Luth. gelehrt/Belg. onderweſen. Optimè omnium Diodati Ital. *ammaeſtrato*, quod benè exprimit Eraſmus, *qui ex diſcipulo jam factus eſt Doctor*, & Verſ. Germ. Socin. in marg. ein Jünger gemacht.

XV.

Quid ſit, ad regnum cœlorum?

ADditur in textu εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, quod κατὰ πόδα interpretamur cum Eraſmo, Flacio, Ar. Montano, Calvino, Tremellio, Tigurinis, Piſcatore, *ad regnum cœlorum*: quanquam Vulgatus & Beza malint *in regno cœlorum*, & Belgæ in het Koningrijk der Hemelen; item German. verſio Johan. Ecken Vulgatum ſecuta im Himmelreich / & Hiſpanica *en el reyne delos cielos*: quorſum & reſpicere videtur Caſtalio, *regni cœleſtis res edoctus*. Et hi quidem præpoſitionem εἰς pro ἐν accipiunt, veluti etiam in ſimili loco Coloſſ. IV. 11. cujus enallages exemplum adducit Beza ex Sophocle in *Ajace flagell.* verſu 79. ἐμοὶ μὲν ἀρκεῖ τοῦτον εἰς δόμους μένειν, id eſt, ἐν δόμοις. Alleg[a]t inſuper lectionem exemplaris ſui vetuſtiſſimi, quæ pro εἰς τὴν

Varia lectio hujus loci.

βασιλείαν habet, ἐν τῇ βασιλείᾳ. Qua de re etiam teſtimonium perhibent variantes lectiones Græcæ N. T. Bibliis Polyglottis Waltonianis in appendice adjectæ, ubi eadem lectio producitur ex eodem codice Evangeliorum & Actorum Græc. Lat. quem Academiæ Cantabrigienſi Beza donavit. Fortè illius codicis lectionem expreſſit textus Matthæi Ebraicus à Munſt. & Quinquarb. editus, ubi eôdem modô extat במלכות השמים *in regno cœlorum.* Ita etiam legerunt Auguſtinus, Hieronomus, Chryſoſtomus & Hilarius in ſuis lucubrationibus ad h. l. Et ſanè non inconveniens eſt hæc ſive lectio, ſive quæ inde fluit interpretatio. Nam ſi vel lectio iſta nos deficeret, tamen εἰς pro ἐν facilè accipi poſſe largiremur ſicut Matth. II. 23. καὶ ἐλθὼν κατῴκησεν εἰς πόλιν λεγομένην Ναζαρέτ, pro ἐν πόλει λεγομένῃ; Matth. IV. 12. κατῴκησεν εἰς Καπερναοὺμ, pro ἐν Καπερναοὺμ; Marc. I. 9. ἐβαπτίσθη εἰς τὸν Ἰορδάνην, pro ἐν τῷ Ἰορδάνῃ; Marc. V. 34. ὕπαγε εἰς εἰρήνην, pro ἐν εἰρήνῃ; Marc. XIII. 16. ὁ εἰς τὸν ἀγρὸν ὤν, pro ἐν τῷ ἀγρῷ; Luc. VII. 50. πορεύου εἰς εἰρήνην, ſicut Jud. XVIII. 6. לכו לשלום in textu Hebræo eſt, quod LXX reddunt πορεύεσθε εἰς εἰρήνην; Joh. I. 18. ὁ ὢν εἰς κόλπον τοῦ πατρὸς, pro ἐν κόλπῳ. Act. VIII. 40. Φίλιππος δὲ εὑρέθη εἰς Ἄζωτον, pro ἐν Ἀζώτῳ. Sic vice verſâ ἐν peo εἰς reperitur Matth. V. 36. collato cum commate proximè præcedente 35. & Luc. VII. 17. Cujus permutationis exempla complura etiam apud profanos autores obſervavit Seb. Pſochenius *Diatrib. de Ling. Græc. N. T. puritate* §. 71. ut εἰς καιρὸν ἦλθες apud Euripidem in *Rheſo* v. 52. pro ἐν καιρῷ ibid. 443. εἰς τάχος pro ἐν τάχει apud eundem in *Hippol. coron.* v. 491. εἰς μέσον δρόμον pro ἐν μέσῳ δρόμῳ apud Sophoclem in *Electra* v. 748. &c. Quin & ſenſus ſatis congruit, ſi hoc modo verba Chriſti ſumantur, ut mens ipſius fuerit, quod Scriba hujuſmodi debeat eſſe bene inſtructus & diſcipulus redditus in regno cœlorum, id eſt, in Eccleſia, ubi Deus in hac vita regnat: ſive in doctrina cœleſti, quæ in Eccleſia ſonat, quæq; metonymicè regnum cœlorum dicitur, veluti accipitur βασιλεία τῶν οὐρανῶν hoc eodem capite Matthæi comm. 33. 44. 45. Unde Galli Genevenſes in Margine Bibliorum habent, *quant a la doctrine del Egliſe.* Et licet hæc locutionis

Particulæ εἰς & ἐν ſæpè permutantur.

Diverſæ lectionis ſenſus commodus.

iſtius

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

iſtius interpretatio non ſatis probetur Jeſuitæ Moldonato (qui etiam vulgatam verſionem hoc nomine aſpernatur, ut ut à Concilio Tridentino in Canonicæ autoritatis ſolio collocatam, atq; ita Eccleſiæ ſuæ vineta cædit) nec Piſcatori, aut Hug. Grotio in h. l. tamen laudatur à Druſio Quæſt. Ebr. lib. III. c. 57. tanquam *omnium quas viderit optima, & quia Ebraiſmum vidit*: neq; diſplicet alteri Jeſuitæ Adamo Contzen comment. in h. l.

XVI.

Alia lectio varians.

ALiam hujus loci lectionem in nonnullis olim Græcorum Exemplaribus expreſſam Dan. Heinſius Exerc. Sacr. lib. I. c. 9. laudare non dubitat, tanquam *elegantem & commodam*, quæ nullam præpoſitionem heic agnoſcit, ſed habet μαθητευθεὶς τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, idq; ut addit, *ex uſu Græcorum*, ſicut alibi de Joſepho Arimathæenſi ἐμαθήτευσε τῷ Ἰησοῦ Matth. XXVII. 57. Hanc lectionem etiam ſecutum eſſe Procopium in Leviticum exiſtimat Henſius, *niſi memoria hoc dedit*, διό φησιν, inquit, ὁ Σωτὴρ, ὅτι πᾶς γραμματεὺς μαθητευθεὶς τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν ὅμοιός ἐστιν ἀνθρώπῳ πλουσίῳ &c. *Cæterum non inſpecto codice adduxiſſe locum, fidem facit, quod & pro* οἰκοδεσπότῃ *habet* ἀνθρώπῳ πλουσίῳ &c. Addimus nos, quod eam lectionem confirmet teſtimonium, quod iterum reperitur inter variantes illas lectiones N. T. in append. Bibl. Polygl. Walton. productum è codice Græco antiquo, qui in collegio Emmanuelis Cantabrigiæ aſſervatur. Nec diſſentit verſio Perſici interpretis, qui *regno cœlorum idoneus diſcipulus fuerit*, aut Æthiopici, qui *operam dat regno cœlorum*. Imò congruerent Latinæ tranſlationes, quæ in Bibliis jam laudatis Syro & Arabi interpretibus reſpondent, nempe, *qui ſe diſcipulum præbet*, aut *qui diſcipulus ſit regno cœlorum*, modò illæ textus iſtos ſatis accuratè exprimerent. Sed & Origenes Enarr. in Matth. c. XIII. T. II. Oper. Edit. Baſil. A. 1571. p. 12. aliquoties verba iſta hoc ſenſu allegare videtur, ut *inſtituitur regno cœlorum Scriba, eruditus regno cœlorum, doctus regno Dei, doctus regno cœlorum*, niſi heic apud Origenem *regno* ſit ablativi caſus, & per ellipſin præpoſitionis *in* coincidat hoc interpretamentum cum expoſitione Vulgati, Bezæ & reliquorum jam jam

Cum hac conveniunt verſiones quædam. Item Origenis allegationes.

 com-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

commemorata. Quod nec à contextu Origeniano alienum eſſe, αὐτοψία docebit.

XVII.

Quæ lectio præferenda?

VErùm etiamſi nos neutram illarum lectionum, aut inde natarum ἑρμηνειῶν rejiciamus, ſed utramq; ceu non prorſus incommodam admitti poſſe cenſeamus: tamen præferimus illam receptam plurimorum codicũ lectionem, εἰς βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, & communem eam particulæ εἰς interpretationem, quâ hæc verba reddantur, *eruditus ad regnum cœlorum*. Sic interpretes Syrus & Arabs habent למלכות pro eo, quod textus Ebræus Matthæi ſuprà allegatus ponit במלכות. At litera ל apud Ebræos, Syros & Arabes plerumq; reſpondet Græcæ præpoſitioni εἰς, tametſi alia etiam ſignificata quandoq; haud reſpuat. Lutherus noſter rectè reddit zum Himmelreich / Galli Gen. *quant au royaume des cieux*, Anglica verſio *unto the Kingdom of heaven*. Vernac. til Himmerigis Rige / Suecica til Himmelrijket / Diodati Ital. eodem ſenſu *per lo regno de'cieli*. Latinos interptetes ὁμοψήφους ſupra allegavimus.

Locutionis hujus ſenſus.

Mens itaq; Servatoris hæc eſt, quod debeat Scriba, idoneus in regno ipſius miniſter futurus, eſſe bene inſtitutus, & omni neceſſaria diſciplina imbutus ad regnum cœlorum, ſcilicet aliis prædicandum & annunciandum. Nam ſine dubio ellipſis verbi heic agnoſcenda eſt, planè

Locus Luc. IX. 62. explicatur.

ſicut in verbis Luc IX. 62. οὐδεὶς ἐπιβαλὼν τὴν χεῖρα αὐτοῦ ἐπ' ἄροτρον, καὶ βλέπων εἰς τὰ ὀπίσω, εὔθετός ἐστιν εἰς βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Quod apud Matthæum eſt μαθητευθεὶς, id ferè heic eſt εὔθετος. Heic verò manifeſtè eſt ellipſis verbi διαγγέλλειν, quod extat comm. præced. 60. ubi Chriſtus dicit illi, qui ab ipſo vocatus petierat veniam priùs ſepeliendi patrem ſuum, ἄφες τοὺς νεκροὺς θάψαι τοὺς ἑαυτῶν νεκρούς· σὺ δὲ ἀπελθὼν διάγγελλε τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ. Hinc alius dicit Chriſto comm. 61. *ſequar te Domine, ſed permitte mihi priùs, ut valedicam iis, qui ſunt domi meæ.* Huic reſpondet jam Chriſtus comm. 62. *nemo, qui manu ſua admotâ aratro, reſpexerit ad ea, quæ retro ſunt*, εὔθετός ἐστιν εἰς (τὸ διαγγέλλειν) τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, i. e *rectè eſt diſpoſitus ad regnum Dei annunciandum.*

Ellipſis h. l. manifeſta.

Ita enim iſtam verbi illius ellipſin è comm. 60. ſupplendam eſſe res ipſa loquitur. Ejuſmodi ellipſeos exempla plura videri poſſunt in

Glaſſii

Glaſſii *Grammat. Sacr. lib. IV. tract. II. obſerv.* 9. Proinde hanc verbi ellipſin in noſtra γνώμῃ viderunt & obſervârunt doctiſſimi interpretes in notis ad h. l. Lutherus ipſe das Himmelreich fordern / andere lehren / und zum Himmelreich bringen / Diodati *per predicarlo, per ſervire ad eſſo, ed avanzarlo*, Hug. Grotius, *bene paratus ad tradenda præcepta regni cæleſtis*; Lucas Oſiander, *qui vo et alios docere, quomodo regnum cœlorum conſequi poſſint*. Idem agnoſcunt Mart. Bucerus, Maldonatus ad h. l. & Corn. Janſſenius comm. in Concord. Evangel. c. 53. Quòd autem per regnum cœlorum h. l. intelligendum ſit regnum gratiæ Chriſti, ſive doctrina Evangelica in illo prædicanda, liquet ex communi Scripturæ uſu plurimis in locis N. T. & quidem in hoc ipſo Matthæi capite octies, ut comm. II. 24. 31. 33. 44. 45. 47. 52. quin & abſolutè vocatur βασιλεία comm. 19. 38. item *regnum filii hominis* comm. 41.

Regnum cœlorum quid?

XVIII.

QUocunq; verò modo hanc locutionem reddamus, certum eſt, quod Servator hâc notâ διδακτικῇ diſcernat ſuum Scribam, ſibi in regno ſuo deſerviturum, à Scribis illis Judaicis, quorum eruditio intra legalis ſcientiæ terminos conſiſtebat, cùm in hoc requirat majorem aliquam & perfectiorem doctrinam, nempe rerum Evangelicarum & myſteriorum cœleſtium idoneam cognitionem, adeoq; ſublimiorem illuminationis gradum, quô hic illis antecellat. Id autem Chriſtus primò quidem in Apoſtolis requirit, quos heic principe inſtituto compellat & inſtruit, de quibus etiam dixerat antea comm. II. ὑμῖν δέδοται γνῶναι τὰ μυστήρια τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, ἐκείνοις δὲ (ſcil. τοῖς ὄχλοις comm. 2. 3. 10.) οὐ δέδοται. Unde & illis parabolas obſcuriores explicavit, laudatis ob beatam iſtam rerum ſublimium intelligentiam comm. 17. 18. 36. 37. Hos enim principes Scribas, ſive Doctores publicos, in regno ſuo, quod eſt Eccleſia militans, deſtinaverat Chriſtus. Quærit Origenes comm. in h. l quomodo Apoſtoli poſſint appellari γραμματεῖς i. e. *homines docti & literati*, cum in Actis Apoſt. c. IV. 13. dicantur ἄνθρωποι ἀγράμματοι καὶ ἰδιῶται? Nam inquit, *ſi illiterati & idiotæ, quomodo manifeſtiſſimè Scribæ vocantur à Servatore?* Reſpondet

Diſcrimen hujus Scribæ à Judaicis.

Scribæ ſunt Apoſtoli.

Origenis dubium.

det ad hanc quæſtionem Origenes, *quòd non omnes, ſed Petrus & Johannes in Actis illiterati ſint dicti, plures verò fuerint diſcipuli, de quibus omnia ſcientibus locutus ſit Chriſtus.* Addit, *omnem diſcipulum, qui juxta literam legis doctrinâ fuerit inſtitutus, Scribam dici: & qui, quanquam ſint illiterati, ducuntur tamen ſub legis litera, Scribæ dicuntur, juxta ſignificationem aliquam. At ſanè maximè competit in idiotas, qui non norunt tropologias & allegorias ſcripturarum, ſed ſimplici credunt literæ, eamq́ defendunt, appellari Scribas* &c. Neutra harum reſponſionum ſatisfacit. Prior non quadrat, quæ ad Petrum & Johannem ſolos ex Apoſtolorum numero illud

Apoſtoli ἀγράμματοι. ἀγράμματοι καὶ ἰδιῶται reſtringit, quod tamen de omnibus illis, qui tum ad Apoſtolicum munus vocati fuerant (Paulus enim, homo doctus, nondum in ſanctiſſimum illud collegium erat cooptatus) intelligendum eſt, cùm omnes ferè opifices & mechanici, quidam piſcatores fuerint. Sicut enim Chriſtus ipſe Judæorum judicio habitus eſt literarum expers Joh. VII. 2. 15. unde admirati ſunt illi, quomodo ipſi ea ſapientia, quæ in concionibus ejus ſe exerebat, obtigiſſet, cùm fabri filius, & ipſe faber haberetur Matth. XIII. 54. 55 Marc. VI. 2. 3. ita & tales ſibi Apoſtolos adſcivit, primos in regno ſuo miniſtros fu-

Et quare? turos, ſcilicet, quia voluit Evangelium ſuum prædicari οὐκ ἐν σοφίᾳ λόγου, ἵνα μὴ κενωθῇ ὁ σταυρὸς τοῦ Χριστοῦ 1. Cor. I. 17. neq; ἐν πειθοῖς aut διδακτοῖς ἀνθρωπίνης σοφίας λόγοις, ſed ἐν διδακτοῖς πνεύματος ἁγίου, atq; ἐν ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως, & quidem *ne fides noſtra conſiſteret in ſapientia humana, ſed in potentia Dei*, 1. Cor. II. 4. 5. 13. Unde & ipſe Chriſtus docuiſſe viſus eſt, non ſicut reliqui Scribæ Matth. VII. 29. Poſterior Origenis

Origenes notatur. reſponſio frivola eſt & inſipida, in primis dum eos Idiotas vocat, qui ſimplicem Scripturæ ſenſum defendunt, & ignorant ejus tropologias & allegorias, nempe illas, quas ipſe Origenes ſuum Philonem ſecutus nimis amavit, & ubivis intempeſtivo ſtudio conſectatus eſt, literali ſenſu inſuper habito, adeóq; in omnium cordatorum juſtam reprehenſionem incurrit. Cujus viri magni, & aliàs ob eximiam eruditionem omni laude dig-

Ejusq́ æmuli. niſſimi, nævos & errores nonnulli proh dolor! jam magis æmulantur, quàm induſtriam ejus & virtutes alias, quas majore

alio-

aliorum cum fructu imitari debebant. Sanè Scribarum munus erat ſcripturæ literam explicare & illuſtrare, Kabbaliſtica & allegorica ejus expoſitione omiſſa, veluti ſupra monuimus.

Solvitur dubium Origenis.

Proinde convenientiùs ad illud dubium, quod apud Origenem objicitur, reſponderi poteſt, quòd licet indocti & idiotæ fuerint Apoſtoli, quoad humanam illam eruditionem, quam ſuo ſtudio & exercitatione ſibi haud comparaverant: tamen γραμματεῖς jure dici potuerint, tum ob eam rerum divinarum cognitionem, quam jamjam è Chriſti inſtitutione & profundis ipſius concionibus hauſerant, tum præſertim ob inſignem illum φωτισμὸν, quem à ſummo Doctore Spiritu Sancto, per extraordinariam φορὰν & inſpirationem erant accepturi Joh. XIV. 26. XVI. 3. 2. Pet. I. 20.

Scribæ quoq; ſunt alii Doctores.

Verùm quòd non ſolis Apoſtolis heic legem præſcribat Chriſtus, fidem facit ſignum univerſale πᾶς, voci γραμματεὺς præmiſſum, quod unà cum Apoſtolis omnes Eccleſiæ Doctores, qui illos ſecuturi erant, ſuo ambitu complectitur.

XIX.

Doctrinæ pro futuris Scribis.

Diſcant hinc omnes illi, qui ad arduum hocce Scribarum munus ſive in Eccleſia, ſive in Academia olim capeſſendum adſpirant, quomodo ſe ad tantæ molis officium dignè præparare & diſponere debeant. Quicquid enim ſcriptum eſt antea, ad noſtram διδασκαλίαν ſcriptum eſt Rom. XV. 4. Quandoquidem hi γραμματεῖς ſunt futuri in regno Chriſti, operam dent, ut τὰ ἱερὰ γράμματα, unde id nominis nanciſcentur, probè habeant cognita ac perſpecta, & quidem ἀπὸ βρέφους, *ab ipſa infantia*, quod in Timotheo ſuo laudat Paulus 2. Tim. III. 15. Et cùm is qui γραμματεὺς eſt, etiam ſit σοφὸς, ut ſupra docuimus §. X. meminerint ſe in iiſdem ſacris literis habere τὰ δυνάμενα αὐτοὺς σοφίσαι, *quæ poterint ipſos ſapientes reddere ad ſalutem, per fidem quæ eſt in* Chriſto *Jeſu*, veluti ibidem loqui pergit Apoſtolus.

Sint probè verſati in S. literis.

Itaq; ne Scribarum nomine indigni judicentur, indefeſſo ſtudio Scripturas Sacras ſcrutentur Joh. V. 39. eas ſibi familiares reddant, & in ſuccum atq; ſangvinem convertant, ut Scribarum Judaicorum inſtar ad quæſtiones inde productas promptè reſpondeant Matth. II. 4. 5. XVII. 10. Luc. X. 26. 27.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

ſeq; ita in Moſis & Prophetarum lectione verſatos oſtendant, ut labia eorum ſcientiá obſervent,& lex ab ore illorum requiri poſſit Mal. II.7. Studeant evadere in Sctibas veloces, expeditos, promptos & comſummatos, exemplo Ezræ c.VII. 5.12. Oſtendant ſe δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς, *potentes in Scripturis*, quo nomine Apollo celebratur Act. XVIII. 24. ubi Syrus habet מרק בכתבא *peritiſſimus Scripturarum.* Dignos ſe præſtent, quibus clavis ſcientiæ, Magiſterii inſigne, competat Luc. XI. 52. & qui in cathedra Moſis collocentur Matth. XXIII. 2. ut reverà ſint duces cæcorum, lux in tenebris ſedentium, eruditores inſipientium, magiſtri infantium, habentes formam ſcientiæ & veritatis in lege Rom. II. 19.20. Quò verò eam ſacrarum literarum peritiam, Scriba tali dignam conſequantur, monitum

Monitum Syracidis XXXVIII. 25.

Syracidis obſervent c. XXXVIII. 25. *ſapientia Scribæ* (γραμματέως) *oportuno otio comparatur : ſed qui parum attendit actioni ſuæ*, ὁ ἐλασσούμενος πράξει αὐτοῦ, *non efficietur ſapiens.* Poſterius membrum Syrus reddit, ודלא מפרק סריקתא הוא נתחכם, *& qui non ſtudet vanitatibus, hic ſapiens evadet.* Eundem ſenſum etiam Arabs exprimit. Hortatur heic ſapiens futurum Scribam, ut ſapientiam tanto muneri parem acquirat ἐν εὐκαιρίᾳ σχολῆς, *per oportunitatem otii*, vel in otio oportuno, nempe otio non inerte, ſed negotioſo, ſive otioſo ſtudio, eoq; aliorum laborum, quorum exempla complura commatibus ſequentibus recen-

Otium requiritur.

ſentur, experte. Qui enim quotidianis laboribus aliis impediuntur, ejuſmodi divinæ ſcientiæ apicem nunquam attingunt. Ideo ſapiente inſtituto Levitis datum fuit, unde ſine labore ſuo viverent. Nec aliunde Scholæ & Scholaſticorum nomen otium ſignificans. Nimirum ſapientia talis, Scriba futuro digna, in Schola, in otio literario, quando ab aliis negotiis vacare licet, quærenda & comparanda eſt, tum quia vaſta eſt illa, adeoq; tempus integrum exigit : tum quia profunda eſt, atq; ideo totam mentis attentionem poſtulat : tum deniq;, quia in Scriba tali ea ingens omnino requiritur, ut hic Solis inſtar radios eruditionis ſuæ in omnes ſpargat, unde totum ei intentum eſſe

Sed quale?

oportet. Hujuſmodi *otium maximum ſibi negotium* fuiſſe, docet Greg. Nazianz. Epiſt. 36. inter Epiſtolas Baſilii. Et benè

Bern-

Bernhardus in libr. II. de Conſid. ad Eugen. c. 13. *cavendum in otio otium eſt. Fugienda otioſitas, mater nugarum, noverca virtutum.* Nam ut addit Syracides, qui deficit in actione, ſive qui parum illi attendit, ſive qui otium ſuum rebus vanis & inutilibus impendit, non evadit ſapiens. Otium quod cuiq; conceditur, bene & ſanctè diſpenſandum eſt: nempe eô modô, quem deſcribit Paulinus Epiſt. I. ad Auſonium Præceptorem ſuum: *Non iners, verùm negotioſum.*

in ardua verſi
Sydera, ſpectanteſq; Deum, veriq; profunda
Perſpicere intenti, de vanis libera curis
Otia amant &c.

Vitanda calumnia vulgi, quâ literatus ordo onerari ſolet, ac ſi inerti otio torpeſceret, quod quidem in otioſos Monachorum ventres quadrat, quos meritò cum Clemente Alex. lib. III. Pædag. c. II. κακοσχολοῦντας appellare licet, i. e. *malè feriatos*, improbè otiantes. Sanè quod ἀεργίη ὄνειδος, *otium iners dedecus*, & Deo hominibusq; exoſus ſit, ὅστις ἀεργὸς ζώῃ, *qui otioſus vivat*, Heſiodi olim vox fuit. Proinde orandũ eſt & laborandum: dies noctesq; ſtudiis ſacris inſumendi. Nequaquam ceſſandum ab opere legendi, ſtudendi, meditandi. Quò ſpectat divina Apoſtoli exhortatio 1. Tim. IV. 13. 15. Πρόσεχε τῇ ἀναγνώσει, τῇ παρακλήσει, τῇ διδασκαλίᾳ· ταῦτα μελέτα, ἐν τούτοις ἴσθι, ἵνα σοῦ ἡ προκοπὴ φανερὰ ᾖ ἐν πᾶσι.

XX.

CAveat tamen futurus Scriba, ne falsâ opinione animus faſcinetur, quòd ubi aliqua legis cognitione inſtructus fuerit, ad exemplum Scribarum Judaicorum, tum demum ſatis ſit ad ſacrum illud munus præparatus. Cogitet, oportere ſe etiam eſſe μαθητευθέντα εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. Debet ſe Chriſto in diſciplinam tradere, ipſi ſe diſcipulum præbere cum Joſepho Arimathæenſi, ejus præcepta imbibere, & inſtitutionem illius in myſteriis regni cœlorum religioſâ mente excipere. Diſcet ab iis, quos Chriſtus conſtituit γραμματεῖς & διδασκάλους, antequam alios docere præſumat. Doctoris munere infeliciter fungetur, qui non antea diſcipuli partes ſtudioſè implevit. Sicut nemo rectè imperat, niſi qui priùs ipſe paruerit *Non ſufficit legalis ſcientia.* *Diſcipulus priùs erit, qui Doctor vult eſſe.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

imperio, juxta proverbium: ita nemo bene aget magiſtrum, niſi priùs egerit bonum diſcipulum. Si quis Doctoris officium ſuſceperit, priùs quàm diſcipuli munere ſedulò defunctus fuerit, audiet illam Apoſtoli exprobrationẽ Ebr. V. 12. Ὀφείλοντες εἶναι διδάσκαλοι, πάλιν χρείαν ἔχετε τοῦ διδάσκειν ὑμᾶς, τίνα τὰ στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ· καὶ γεγόνατε χρείαν ἔχοντες γάλακτος, καὶ οὐ στερεᾶς τροφῆς. Sanè ex præſcripto Paulino is Epiſcopus eſſe non poteſt, qui eſt νεόφυτος 1. Tim. III. 6. i. e. *novitius*, ut Caſtal. Tigur. & Beza reddunt, ſive recens in horto Domini plantatus, recens Eccleſiæ inſitus, aut nuper dogmatibus fidei initiatus. Apud LXX. ſenes νεόφυτος reſpondet Ebræo נטע, quod *plantam recentem* deſignat, quales in Eccleſia erant Catechumeni. Vid. Job. XIV. 9. Pſal. CXLIII. 13. Eſa. V. 7. Syrus reddit לא נהוא טלא תולמדה, *ne ſit recentis diſcipulatus*, ſive *puer in doctrina ſua*, veluti Syrum interpretatur Tremellius. Arabs לא יכונן דאערשת חדידת פי אלאמאנת, *ne ſit recens plantatus in fide*, Lutherus & Verſ. Germ. Socin. ein Newling. Non debet eſſe ex eorum numero, quos notat Greg. Nazianz. Apol. I. tanquam ἁμάτι μαθητὰς καὶ διδασκάλους, τοὺς προπετεῖς ἱερεῖς, *ſimul diſcipulos & Doctores, præcipites Sacerdotes &c.* Vide Montacutium in Analectis Exerc. I. Sect. 9. & Cl. Eſpencæum comment. in h. l. Ne feſtinet Sacerdotium affectare, aut Doctoris cathedram invadere, quando adhuc in diſcipulorum ſubſelliis conſiſtere debet. Ne currat non vocatus, nec cruda ſua ſtudia in ſuggeſtum aliumve ſacrum locum protrudat. Ne ſit νήπιος, ἄπειρος λόγου δικαιοσύνης Ebr. V. 13. i. e. in eorum numero, qui lacte adhuc aluntur, atq; ita ſe habent ad penitiorem doctrinam, ut pueri ad artes civiles. Verùm ſit benè non modò πεπαιδευμένος ad exquiſitam formam patriæ legis, cum Paulo Act. XXII. 3. ſed quod magis eſt, μαθητευθεὶς ad regnum cœlorum. Ne legi tantùm ſit affixus, cum Scribis Judaicis, ſed & doctrinâ Evangelicâ ab Apoſtolis propagatâ probè imbutus Matth. XXVIII. 19. Act. XIV. 21. Ab infantia probè teneat ſacras literas, quæ ipſum poſſunt σοφίσαι *ſapientem reddere*, in quibus etiam μένειν, *perſiſtere, perſeverare* eum oportet 2. Tim. III. 14. 15. Sit bene eruditus in regno cœlorum i. e. in Eccleſia,

Non erit νεόφυτος 1. Tim. III. 6.

Sit benè imbutus doctrinâ Evangelicâ.

ſia, ſive in doctrina cœleſti, quæ ibi ſonat, & quæ ad alterum regnum cœlorum ducit. In ea nempe βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν, quæ ἀπὸ τῶν ἡμερῶν Ἰωάννου τοῦ βαπτιστοῦ βιάζεται, καὶ βιασταὶ ἁρπάζουσιν αὐτὴν Matth. XI. 12. Luc. XVI. 16. cujus myſteria ſcire & intelligere non omnibus datum eſt Matth. XIII. 11. Marc. IV. 11. Luc. VIII. 10. quæ quando appropinquat, μετάνοιαν inter homines requirit, unde & *concio pœnitentiæ* rectè dicitur Matth. III. 2. IV. 17. X. 7 quam ipſe Chriſtus prædicavit Marc. I. 15. Luc. IV. 43. VIII. 1. IX. 11. & illius juſſu Apoſtoli Luc. IX. 2. X. 9. 11. quam ipſe illis διέθετο i. e. *pacto diſpoſuit* Luc. XXII. 29. quæ comparatur nuptiis filii Regis Matth. XXII. 2. nuptiis agni Apoc. XIX. 9 quæ Chriſti βασιλεία facta eſt Apoc. XII. 10. quæ non modò doctrinâ Chriſti, ſed & miraculis confirmata eſt Matth. XII. 28. Luc. XI. 20. de quâ Chriſtus cum Apoſtolis diſſeruit XL. iſtorum dierum ſpatio, quod cum illis inter reſurrectionem ſuam & adſcenſionem ad cœlos exegit Act. I. 3. quam Philippus Evangelizando Samariæ propagavit Act. VIII. 12. Paulus Epheſi Act. XIX. 8. & Romæ Act. XXVIII. 31. quæ aufertur ab iis qui abutuntur, & ad eos qui fructus ejus promittunt, transfertur Matth XXI. 43. quæ comparatur ſemini in terram jacto, tritico, grano ſinapis, fermento, theſauro abſcondito, margaritæ pretioſæ &c. Matth. c. XIII. toto, & Luc. XIII. 18. 20. Hæc eſt illa βασιλεία, à qua probè aberat Scriba ille, qui νουνεχῶς i. e. *cordatè* reſpondit Chriſto Marc. XII. 34. Hæc eſt, quæ non venire ſolet μετὰ παρατηρήσεως, i. e. ita ut *obſervari poſſit*, quia illa intra nos eſt Luc. XVII. 20. 21. Syrus habet בנטורתא *cum obſervationibus*, Æthiops, *non apparebit regnum Dei obſervando*, Perſa, *regnum Dei tempus notum non habet*. Hæc eſt, quæ non conſiſtit ἐν λόγῳ, ἀλλ' ἐν δυνάμει 1 Cor. IV. 20. cujus gratiâ proinde relinquendi ſunt parentes, fratres, uxor, liberi, domus Luc. XVIII. 29. quæ nimirum eſt ipſum Evangelium, veluti explicatur loco parallelo Marc. X. 29. Neceſſe eſt, ut futurus Scriba noſter in hac βασιλείᾳ οὐρανῶν, quomodo jam explicata eſt, ſedulò & probè ſit inſtitutus, juxta ac ad hanc edoctus & eruditus, nempe ad hanc annunciandam & prædicandam aliis, ad quod hoc

Quale hoc regnum cœlorum?

Locus Luc. XVII. 30.

 mo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

modo εὔθετος i. e. *appoſitus*, ſive bene diſpoſitus reddetur Luc. IX. 60. 62. Ita debet eſſe ad hanc μαθητευθεὶς, atq; piis precibus, indefeſſo ſacrorum monumentorum ſtudio, & diligente γυμνασίᾳ jugiq; exercitatione, talem habitum per Dei gratiam ſibi comparabit, ut διδακτικὸς evadat 1. Tim. III. 2. 2. Tim. II. 24. i. e. *aptus ad docendum*, quod Vulgatus priore loco malè vertit per *Doctorem*, ut & Syrus utrobiq, per מלפן, quos Æthiops ſequitur, alienè & inconvenienter voci Græcæ. Nam multi ſunt Doctores, qui aptiores eſſent ad ſtivam, quàm ad cathedram. Hieronymus tamen adv. Pelagian. l. I. docet, Vulgatum eô tempore habuiſſe *docilem*, vocem heic æquè incommodam, pro qua ipſe ſubſtituit, *qui docere poſſit*, ut Eraſmus obſervavit. Sanè poſteriore illô locô jam adhuc habet *docibilem*. Quantò meliùs Gallica verſio: *propre à enſeigner*, vel *endoctriner*. Vernac. **bequem til at lære**: ut alias jam taceam. At διδακτικὸς eſſe non poteſt, ſive aptus aliis inſtituendis, ſive facultate docendi præditus, niſi priùs ipſe ſit διδακτὸς, ſive bene eruditus. Nemo enim alios id docere potis eſt, quod ipſe non priùs didicit. Studebit itaq;, ut per idoneam ἱερῶν γραμμάτων peritiam fiat ἄρτιος *perfectus*, & quidem τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος i. e. Dei miniſter eximius, & voluntatis ejus interpres 2. Tim. III. 17. quomodo id nominis apud LXX. Interpretes ſumitur de Moſe Deut. XXXIII. 1. de Joſva Joſ. XIV. 7. & de aliis in V. T. quos ἁγίους Θεοῦ ἀνθρώπους vocat Petrus 2. Epiſt. I. 21. Et ita ipſum etiam Timotheum compellat Paulus 1. Tim. VI. 11. Imò ut fiat πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος ibid. 2. Tim. III. 17. i. e. *ad omne bonum opus perfectè inſtructus*, Syrus גמיר *conſummatus*, Arabs כאמלא מתאהבא *perfectus*, *paratus*, idem quod κατηρτισμένος Luc. VI. 40. & quidem ad omne opus ſacri officii, quale erat Epiſcopale illud Timotheo demandatum, ad cujus munia Apoſtolus heic digitum intendit. Qui ita eſt μαθητευθεὶς, & ἐξηρτισμένος ad regnum cœlorum aliis cum fructu prædicandum, is demum poteſt dici καταξιωθῆναι τῆς βασιλείας τοῦ Θεοῦ 2. Theſſ. I. 5. i. e. *dignus judicatus regno Dei*, nempe ut illud profiteatur aliosq; doceat. Imò poteſt dici συνεργὸς εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, i. e. *adjutor in regnum Dei*, ſive *in regno Dei*, uti Vulgatus & Beza ſui ſimi-

Διδακτικὸς *quid ſit* 1. *Tim.* III. 2.

Locus 2. *Tim.* III. 17. *illuſtratur.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

ſimiles hunc quoq; locum interpretantur, conſentiente Syro במלכותה דאלהא, nec repugnante Æthiope. Quod elogium Paulus tribuit ſuis collegis Ariſtarcho, Marco & Jeſu qui dicebatur Juſtus Col. IV. 11. Deniq; jure dicetur & doctus & Doctor ad regnum cœlorum, quandoquidem ita docendo & ſemetipſum, & auditores ſuos ſervare poterit 1. Tim. IV. 16.

XXI.

HUc etiam pertinet ille θησαυρὸς, quem Servator in hac ipſa divina ſententia in ejuſmodi Scriba ſuo requirit, quando dicit, eum Patrisfamilias inſtar depromere è theſauro ſuo nova & vetera. Nemo enim è theſauro proferre poteſt aliquid, qui non theſaurum habet, ubi res ſibi oportunè depromendas antea recondidit. Actus enim proferendi non modò correlatum habet, ſed & præſupponit actum recondendi. Sic in verbis Eccleſiaſtis cap. III. 6. עת לשמור ועת להשליך primùm verbo שמור denotatur actus aſſervandi, cuſtodiendi, recondendi; deinde ei opponitur τὸ השליך, quod LXX. reddunt per ἐκβαλεῖν, idem nimirum verbum, quod in his verbis Chriſti extat, & actum depromendi ſive proferendi ab illo diſtinctum deſignat. Cuilibet illorum actuum diverſum tempus ab Eccleſiaſte tribuitur. Priorem autem actum depromendi ipſa vocis θησαυρὸς nativa indoles exprimit, dum ea repræſentat τὴν θέσιν εἰς τὴν αὔριον i. e. *repoſitionem rei alicujus*, vel pecuniæ, vel annonæ, vel ſimilium, *in craſtinum diem*, ſive in tempus futurum, ſive in futuram neceſſitatem. Hæc enim eſt vera nominis θησαυρὸς etymologia, non illa, quam fingit Grotius Annot. ad Matth. II. 11. exiſtimans illius originem non Græcam, ſed Orientalem eſſe, ex voce תשורה, quæ ſemel tantùm in Bibliis extat 1. Sam. IX. 7. deſignans *munus* ſive *donum*, ut Schindlerus, Pagninus & Ar. Mont. reddunt, Jonathan Chald. מדעם דכשר *rem placentem*, Syrus זודא viaticum, Vulgat. *ſportulam*, Fr. Junius & Buxtorfius in Concord. *donarium*, Diodati *preſente*. Kimchius in *Miclol* eodem ſenſu interpretatur per מנחה, & ſecutus R. Jonam ad hanc ſignificationem refert illud ותשורי למלך Eſa. LVII. 9. quaſi idem ſit ac תקרבת לפניו מנחה *afferes ad facies ejus munus*. Id quod & R. Aben

Huc ſpectat vox θησαυρȣ.

Locus Eccleſ. III. 6.

Vocis θησαυρὸς etymologia.

Non ab Ebr. תשורה.

Quid illud ſit 1. Sam. IX. 7.

R. Aben

R. Aben Ezra ad h. l. obſervat. R. Salomon allegat explicationem R. Menachemi לשון תקרובת ראיית פני מלך ואדם חשוב *ſignificat donum dignum facie Regis aut Magnatis.* M. Marinus in *Arca Noë* putat id eleganter dictum *à ſignificatione videndi* (vel *contemplandi*) *in verbo* שרר, *quod munus oculos ad ſe alliciat.* Mercerus in Theſ. illud dici exiſtimat, *quia ad demerendum aliquem extenſis brachiis vel manibus porrigi ſolet*, eò quòd radix שור generaliter ſignificet *extendere* vel *diſtendere*. Quicquid ſit, neq; apud Helleniſtas vox θησαυρὸς huic Ebrææ תשורה eo loco reſpondet, neq; poterit illi natales ſuos debere, tanquam voci diverſum deſignanti. Sed neq; ab alio Ebræo nomine אוצר idem denotante derivari poteſt, quod vult Steph. Guichartus in ſua *Harmonie Etymologique des Langues* pag. 86. cum analogia utriusq; vocis id haudquaquam permittat. Eſt enim vox origine Græca, cujus etymon jamjam expoſuimus.

Neq; ab Ebr. אוצר.

Verùm duo in primis θησαυροῦ in ſacris literis ſignificata occurrunt: alterum, quo notat ipſam rem, quæ in futurum tempus reconditur & aſſervatur, veluti Matth. VI 19. 20. 21. XIII. 44. Marc. X. 21. Luc. XII. 33. 34. 2 Cor. IV. 7. Coloſ. II. 3. & aliis in locis: alterum, quo deſignat cellam conditoriam, penum, thecam, ſive loculum quemvis, ubi res chariores & pretioſiores recondi ſolent, quo ſenſu ſæpius apud LXX. ſenes invenitur, & Ebræo אוצר reſpondet. Sic 1. Par. XXVII. 28. pro אוצרות היין *cellis vini* in Græco eſt θησαυρῶν τοῦ οἴνου. Jer. L. 25. Deus dicitur aperire ſuum אוצר θησαυρὸν, & inde depromere inſtrumenta indignationis ſuæ. Joël I. 17. אוצרות θησαυροὶ dicuntur deſolati unà cum horreis, quia aruit triticum. Syrus habet אוצרא *horrea*

Duo vocis Græcæ ſignificata.

Quod enim Ebræum אוצר præter rem reconditam, etiam ipſum repoſitorium, cellam, ſive horreum ſignificet, oſtendunt loca Hoſ. XIII 15. ubi eſt אוצר כל כלי חמדה i. e. *cella omnium vaſorum deſiderabilium*, Prov. VIII. 21. ubi אוצרות dicuntur repleri: Targum Chald. & Syrus reddit סימתהון *cellaria*, LXX. θησαυρούς. Job. XXXVIII. 22 ubi אוצרות שלג ואוצרות ברד *theſauri nivis, theſauri grandinis* memorantur, Targ. habet קורטורי ואפותיקי *cellaria* & *apothecas*. LXX. θησαυροὺς χιόνος, θησαυροὺς χαλάζης. Sic Deus dicitur

Idem notat Ebr. אוצר.

pro-

producere ventum מאוצרותיו *de theſauris ſuis* Pſ. CXXXV. 5. LXX. ἐκ θησαυρῶν αὐτοῦ, Syrus מן אוצרא *de horreis*. Idem habetur Jerem. X. 13. & LI. 16. Ita quoq; Deut. XXVIII. 12. Deus dicitur aperire אוצרו הטוב LXX. θησαυρὸν αὐτοῦ τὸ ἀγαθὸν, *ut det pluviam terræ in tempore ſuo.* Quibus in dictis intelliguntur loca, unde ventus, pluvia, nix, & grando producuntur. Quin & θησαυρὸς Malach. III. 10. apud LXX. exprimit duas voces Ebræas בית אוצר, quæ h. l. horreum deſignant, in quod decimæ Dei juſſu inferri debebant. Imò Nehem. X. 39. θησαυροὶ reſpondent voci Ebr. לשכות, quæ ſignificat *cubicula* ſive *conclavia*, ſive *cellas*, in quas Iſraelitæ deferre debebant primitias frumenti, muſti & olei, & in quibus vaſa Sanctuarii cuſtodiebantur. Syrus reddit בית קפסא *cellas*, LXX. comm. proximè præcedente γαζοφυλάκια, Tigurini *penuaria*, Diodati *nelle camere, nel luogo de' magazzini.* Hinc & vocem θησαυροὺς in hiſtoria Magorum Matth. II. v. 11. Arabicus interpres optimè vertit אועיתהם *vaſa ipſorum*, quem propterea laudant P. Kirſtenius Not. in Evang. Matth. & Abr. Scultetus Obſerv. in Matth. h. l. Neq; enim vero ſimile eſt, Magos omnes ſuos theſauros domo in Palæſtinam exportaſſe. Neq; Perſarum theſauri auro, thure & myrrhâ tantùm conſtabant. Dicuntur verò illi aperuiſſe ſuos θησαυροὺς i. e. ſarcinas, thecas, ſaccos, vel repoſitoria, unde dona iſta Chriſto Regi offerenda depromerent. Et hoc modo etiam vocem hanc profanis Scriptoribus uſurpari Scultetus & Grotius ad h. l. obſervârunt. Quamcunq; verò harum interpretationum heic in γνώμῃ noſtra admiſeris, certum eſt, velle Chriſtum, ut Scriba futurus theſaurum habeat idoneum, unde proferre poſſit quæ aliis ſint profutura. Debet itaq; opportunè θησαυρίζειν, theſaurum colligere, congerere & acquirere, & quidem ſolicito ſtudio, verùm non ſibi, ſed Deo Luc. XII. 21. & filiis ſpiritualibus, quos olim habiturus eſt, patris inſtar, 2. Cor. XII. 14. Debet ἀποθησαυρίζειν ἑαυτῷ θεμέλιον καλὸν εἰς τὸ μέλλον i. e. *theſaurum ſibi congerere, fundamentum bonum in futurum* 1. Tim. VI. 19. Colligat ſedulò ſuo tempore, quæ olim in aliorum uſum promptè erogare poſſit. Imitetur formicam, quæ eo nomine laudatur, & pigro tanquam induſtriæ exemplum

Ambitus vocis Græcæ.

Qvid deſignet Matt. II. 11.

Theſaurū congeret futurus Scriba.

pro-

proponitur, quòd in æſtate & meſſe congerat eſcam, quâ in poſterum victitet Prov. VI 6. 8. & XXX. 24. 25.

XXII.

Qualis theſaurus congerendus? Piis precibus petendus.

SI quæras, quis ille ſit theſaurus, quem Scriba ejuſmodi ſibi in futuros uſus acquirere & congerere debet? reſpondemus, eſſe illum variæ & omnigenæ eruditionis, in primis ſacræ & divinæ, theſaurum, omnibus mundi cimeliis jure anteferendum. Primò debet piis & devotis precibus quotidie à Deo petere & implorare illum θησαυρὸν, qui eſt φῶς λάμπον ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, πρὸς φωτισμὸν τῆς γνώσεως τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ, ἐν προσώπῳ Ἰησοῦ Χριστοῦ, quem theſaurum nos miſeri mortales habemus ἐν ὀστρακίνοις σκεύεσιν, *in teſtaceis vaſculis* 2. Cor. IV. 6. 7 Petet hunc ſcientiæ theſaurum à Chriſto, in quo ſunt omnes οἱ θησαυροὶ τῆς σοφίας καὶ τῆς γνώσεως ἀπόκρυφοι Coloſſ. II. 3. Verùm quandoquidem ille φωτισμὸς nemini jam obtingit ἀμέσως, & extra ordinem, ſed opus eſt labore & induſtriâ, ut ille obtineatur:

Scrutinio S. literarũ acquirendus. Ἐρευνᾶν quid Joh. V. 39.

cum precibus conjunget indefeſſum ſacrarum literarum ſtudium, quas debet ἐρευνᾶν Joh. V. 39. i. e. ſcrutari, perveſtigare, ut inveniat & eruat theſaurum in illis latentem, nempe theſaurum illum in agro abſconditum, qui eſt ipſum regnum cœlorum omnibus humanis opibus redimendũ Matth. XIII. 44. Nã verbum ἐρευνᾶν nativa indole deſignat aſſiduam, acrem & laborioſam perſcrutandi & inveſtigandi diligentiam qualem adhibere ſolent, qui defoſſum in terra theſaurũ ſum̃o ſtudio quærunt, docente Whitakero de Script c. 10. Continet verò metaphoram deſumptam ab illis, qui venas terræ diligenter perſcrutantur, ut metalla inde effodiant eruantq́;, quo ſenſu Prov. II. 4. reſpondet Ebræo חפש, ubi de inveſtigandis מטמונים *theſauris abſconditis* uſurpatur. Conferantur loca Joh. VII. 52. Rom. VIII. 27. 1. Cor. II. 10. 1. Pet. I. 11. Apoc. II. 23. ubi verbum hoc extat, quod interprete Maximo Monacho h. l. exprimit τὴν ἐπιμελῆ καὶ νηφάλιον τῶν κεκρυμμένων ἐξέτασιν. Hinc hauriet veram illam σοφίαν, quam κατ᾽ ἐξοχὴν nominat Apoſtolus 1. Cor. II 6. ſive γνῶσιν τῆς πολυποικίλου σοφίας Θεοῦ Epheſ III. 10. eam nimirum γνῶσιν, unde verè *Gnoſticus* dici mereatur, veluti ſuum perfectum Theologum appellat Clemens Alexandr. in

libris

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

Conjungendum ſtudium Locorum Commun.

libris Στρωματέων. Debet cum hujuſmodi ſacræ Scripturæ ſcrutinio ſimul adhibere jugem & diligentem articulorum fidei, & monumentorum, quibus orthodoxa confeſſio defenditur & illuſtratur, lectionem juxta ac meditationem. Neq; ſibi ſufficere putabit, Biblia ſemel iterúmve perlegiſſe, aut locos Theologicos utcunq; percurriſſe. Quod ubi fecerit, ſi jam poſtillæ alicujus (ut vocant) ope, doctorumq; virorum laboribus adjutus, concionem ad populum habere poſſit, non ſtatim ſibi in Theologum evaſiſſe videbitur. Decet eum, qui alios feliciter ad regnum cœlorum erudiet, ut ipſe multiplicis eruditionis theſauro ſit inſtructus: idq; eo fine, ut pro ratione perſonarum, temporum, locorum, & pro diverſitate caſuum, ſalutarem doctrinam expeditè proferre poſſit, prout cujusvis neceſſitas aut uſus poſtulaverit. In tanto enim tamq; arduo officio, præter ordinaria ejus munia, multi caſus quotidie incidunt, ubi ſolidâ & non proletariâ eruditione, magnaq; prudentiâ opus eſt, ut alii inſtruantur vel corrigantur, aliis ſanæ doctrinæ contradicturis os obturetur, aliis perturbatæ conſcientiæ ſcrupuli eximantur. Hinc & ei, qui Theologi nomen jam meretur, quotidie diſcendum eſt, ut eò dexteriùs doceat. Unde Paulus Timotheo, ut ut jam Epiſcopo ordinato, ab infantia ſacras literas edocto & eximia rerum divinarum cognitione prædito, nihilominus præcipit, ut *intentus ſit lectioni*, ut *donum quod in ſe eſt non negligat, ut hæc meditetur, in his ſit totus, in his permaneat, ut profectus ipſius inter omnes ſit manifeſtus* 1. Tim. IV. 13. 14. 15. 16. Imò hortatur eum Apoſtolus 2. Tim. I. 6. ut ſit ἀναζωπυρῶν τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ, i. e. donum Dei in ſe, quod eſt inſtar igniculi in cineribus ſemi extincti, ſuſcitet, & quaſi admotis follibus ac flabellis redardeſcere faciat. Elegans omnino metaphora. Sicuti enim ſcintillæ cineribus coopertæ facilè emoriuntur, ignis conditus & ſopitus facilè extingvitur, ſed accedente flatu levi non difficulter exſuſcitatur, ut flammam concipiat, & in materiam appoſitã explicet: ita docendi & exhortandi dona ſecuritatis & negligentiæ cineribus ſepeliuntur, à Satana & carne noſtra ſuffocantur: at precum meditationis & exercitationis diligente ſtudio ſuſcitata, neſcio quid

Etiã Theologo quotidie diſcendum.

Locus 2. Tim. I. 6. illuſtratur.

igne-

Ἀναζωπυρεῖν quid ſit?

igneum ſpirant, & ſe juxta ac adſtantes ad auditorii ſui focum flammis ſuis calefaciunt. Ita verbi ἀναζωπυρεῖν emphaſin egregiè explicant Eraſmus, Cl. Eſpencæus, Aretius, Scultetus, Baldvinus, Piſcator &c. Eſt enim ζώπυρον follis, quo ignis in cineribus latens ſuſcitatur: & ζωπυρεῖν, ignem ſopitum carbonesq; cineribus obrutos accendere. Suidæ eſt ἀναζῆν ποιῶ, *reviviſcere facio*: & κυρίως eſt ipſo interprete, τὸ ἐκ μικροῦ σπινθῆρος φυσῶντα μεγάλην φλόγα ἀνάψαι, *ex exigua ſcintilla flando magnam flammam accendere*. Inde compoſitum ἀναζωπυρεῖν *rurſus accendere*, quod Gen. XLV. 27. reſpondet Ebræo חיה, & *reviviſcere* notat. Syrus locum hunc Paulinum vertit דתעיר מוהבתא, ut *excites donum*. Arabs verò optimè metaphoram expreſſit per תצרם נאר מהבת אללה *accendas ignem doni Dei*, Galli Genev. *rallumes le don de Dieu*, Verſ. Gen. Socin. das du erweckeſt die Gabe / & in marg. als ein Fewr wieder anzündeſt; Vernac. Reſen. & Nov. kommer igien til at brende. Idem ferè intendit Apoſto-

Loca 1. Tim. VI. 20. & 2. Tim. I. 14. explicantur.

lus, quando eundem monet 1. Tim. VI. 20. & 2. Tim. I. 14. ut cuſtodiat & diligenter ſervet τὴν παρακαταθήκην. Codex M. S. Alexandrinus magnæ vetuſtatis & optimæ notæ heic habet παραθήκην, ut & antiqvus codex Coll. Emman. Cantabr. qui addit, καλὴν, quæ vox poſteriore loco τῇ παρακαταθήκῃ in fontibus adjungitur. Sed priorem lectionem pleraq; alia exemplaria conſtante conſenſu retinent. Eſt verò

Quid ſit παρακαταθήκη?

παρακαταθήκη vox tricompoſita ſignificans depoſitum, ſive quod alicujus fidei commiſſum eſt, nimirum talentum illud à ſummo Patrefamilias unicuiq; concreditum, quod nunquam defodiendum eſt, ſed fœnori elocandum Matth. XXV. 18. ſeq. Ambroſius pro *depoſito* legit *commendatum*, quem ſequitur Luth. priore loco, daß dir vertrawet iſt / nec non Vernac. Reſen. & Noviſſ. det ſom dig er befalet. Syrus habet poſteriore loco גועלנא טבא *depoſitum bonum*, ſicut & Vulgatus, Arabs אלודיעת אלנפישת *præclarum depoſitum*, Tigurini *egregium depoſitum*, Diodati Ital. *il buon dipoſito*; Gall. Gen. *le bon depoſt*, Luther. & Verſ Germ. Socin. die gute Beylage / Vernac. Reſen. & Noviſſ. det gode ſom er nederlagt hos dig. Intelligitur illud divinæ gratiæ & donorum Spiritus Sancti depoſitum, quod unusquisq; futurus Scriba

non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

non modò ſolicita cura cuſtodire, ſed & ſummo ſtudio excolere debet. Nam verbum φύλαξον, quod heic adhibet Paulus notat rem aliquam maximâ circumſpectione & vigilantiâ cuſtodire ac tueri, veluti de cuſtodia paſtorum pro ſalute gregis excubantium ſumitur Luc. II. 8. & de divina cuſtodia circa electos Joh. XVII. 12. 2. Theſſ. III. 3. Conferantur loca in Verſ. LXX. Interpret. Gen. II. 15. & III. 24. Atq; ſic idem ferè eſt παρακαταθήκη in verbis Paulinis, quod θησαυρὸς in parabola Chriſti, qui in futuro regni cœlorum miniſtro requiritur, non modò ut in illo adſit, ſed & ſedulò cuſtodiatur, nec non perpoliatur. Qualis verò ſit hic theſaurus, quàm latè pateat, quamq; lingvarum, artium & ſcientiarum encyclopædiam ſuo ambitu comprehendat, id prrolixè docuimus diſſertatione *de Theologia Chriſtiana in genere conſiderata*, quinto ab hinc anno edita §. XV. XVI. & ſeqq. Quò lectorem harum rerum curioſum remittimus, ne actum agamus. Conſulatur etiam Dion. Petavius in Proleg. ad Dogm. Theol. Tom. I. & Lud. Creſollii Myſtagogus lib. II. c. 15. 16. 17. & ſeqq.

Φιλάττειν quid?

Amplitudo hujus theſauri.

XXIII.

HAnc ob cauſam noluit Deus, ut promiſcuè & ſine diſcrimine ad arduum illud Scribarum in regno Dei munus admitterentur, quotquot ad illud quovis modo adſpirarent: ſed ſeverè præcepit, ut priuſquam talis διακονία illis committeretur, juſta eorum δοκιμασία, probatio & exploratio præmitteretur. Οὗτοι δοκιμαζέσθωσαν πρῶτον, εἶτα διακονείτωσαν, ἀνέγκλητοι ὄντες, inquit Apoſtolus 1. Tim. III. 10. Idem eſt, quod monet 1. Tim. V. 22. χεῖρας ταχέως μηδενὶ ἐπιτίθει, *manus nemini citò imponas*, ſcil. eum non examinatum antea aut probatum ad ſacrum miniſterium admittendo & ordinando. Præcedere enim debet, ut priore loco docuerat Paulus, δοκιμασία, & quidem talis, qualem in auro per ignem inſtituit aurifaber 1. Pet. I 7. qualem adhibere debet is, qui epulo dominico dignè uti volet, δοκιμάζων ἑαυτὸν 1. Cor. XI. 28. qualem ſinguli fideles in fide ſua exploranda præſtabunt, πειράζοντες καὶ δοκιμάζοντες ἑαυτοὺς, ne ἀδόκιμοι fiant 2. Cor. XIII. 5. uti & unusquisq; in ſuo opere probando Gal. VI. 4. Hæc verò eſt δοκιμασία ex-

Scribæ futuri priùs probandi ſunt.

Locus 1. Tim III. 10 explicatur.

Qualis δοκιμασία inſtituenda?

qui

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

quiſitiſſima & accuratiſſima, quali Paulus profitetur ſe & Silvanum & Timotheum à Deo probatos fuiſſe (δεδοκιμάσμεθα) antequam concrederetur ipſis Evangelium 1. Theſſ. II. 4. Nimirum probandi & examinandi ſunt futuri Scribæ, & diligenter inquirendum, an ejuſmodi theſauro ſint inſtructi, quem modò deſcripſimus: nempe theſauro divini χαρίσματος, φωτισμοῦ & παρακαταθήκης, theſauro ſacræ eruditionis tanto muneri paris, theſauro dexteritatis in docendo cum παῤῥησίᾳ conjunctæ. Hæc enim in illis requiruntur, qui cenſeri poſſunt διδακτικοὶ 1. Tim. III. 2. 2. Tim. II. 24. ſive ἱκανοὶ καὶ ἑτέρους διδάξαι 2. Tim. II. 2. Hinc hujuſmodi futurorum Scribarum examen, & diligens in illorum ἱκανότητος inquiſitio, jure veteri Eccleſiæ in uſu fuit. In Conſtitut. Apoſtolorum quæ Clementi tribuuntur lib. VII. c. 32. jubentur deligi Antiſtites, Presbyteri, Diaconi δεδοκιμασμένοι *probati*. In Concilio Nicæno prohibitum fuit can. IX. ne quiſquam promoveretur ad ordines ἀνεξετάστως, *citra examen*. Eum morem, quamdiu Eccleſia floruit, obſervatum eſſe, & examinationem illam factam μετὰ πάσης ἀκριβείας *accuratiſſimè*, teſtatur Baſilius Epiſt. 181. In Concilio Sardicenſi Oſius diſſerens de iis, qui προχείρως, *citò & temerè* ad Eccleſiæ miniſterium admittebantur, oſtendit, neq; divinas literas, neq; mores, neq; commune Eccleſiæ bonum id pati, & proinde requiri τὴν μηκίστου χρόνου δοκιμασίαν, *longiſſimi temporis probationem* Concil. Sard. can. 10. Gregorius Magnus ſanctiſſimus Urbis Epiſcopus oblatum ſibi ab Excellentiſſimo viro Patricio Donatum Archi-Diaconum ordinare noluit, quod examinatus non inveniretur idoneus, idq; ut ipſe ſcribit lib. IV. Epiſt. 45. quia *valdè periculoſum eſt animæ, temerè cuiquam manum imponere, curæ nobis fuit, vitam actusq; ejus ſubtili inveſtigatione diſcutere*. Hinc idem ſcribens ad Epiſcopos Galliæ lib. VII. Epiſt. 112. monet: *diu religioſa meditatione poliatur, ut placeat, & ſic lucernæ flammam non extingvat, ſed augeat* &c. Chryſoſtomus de Sacerd. lib. II. poſtulat in deligendis myſtis ἀκριβῆ καὶ βεβασανισμένην ἔρευναν, *exactam exploratamq; examinationem*. Et Hom. 16. in verba allegata ex 1. Tim. V. 22. dicit, in ordinando non ſufficere, πρώτην δοκιμασίαν, δευτέραν, τρίτην, *primam probationem, ſecundam,*

Talis probatio veteri Eccleſiæ in uſu fuit.

Patrum teſtimonia.

dam, tertiam, ſed eam ſæpius & exactiſſimè repetendam. Cumq; laudabile illud inſtitutum progreſſu temporis negligi cœpiſſet, Imperatores Chriſtiani pio zelo illud denuò ſtabilitum, ſuisq; conſtitutionibus firmatum voluere. Nam Juſtinianus Conſt. Novell. 137. prohibuit Clericos admitti, qui neq; moribus, neq; ſapientiâ commendati forent, ratione additâ: *illud plerisq; non parvam delinquendi occaſionem præbuit, quòd Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi & reliqui Clerici ſine examine, & de recta fide, & vitæ honeſtate teſtimonio ordinentur.* Eadem mens fuit Carolo Magno, ſapientiſſimo Principi, qui in Capitularibus lib. I. c. 2. & 142. juſſit eorum, qui ad ſacros ordines accedunt, fidem & vitam diligenter diſcuti, & ſic demum eos ordinari. Pari pietate & zelo religioſo, glorioſiſſimi Reges Daniæ, à tẽpore lucis Evangelicæ divino munere reſtitutæ, laudatiſſimas ſanctiones publicaverunt, de eorum, qui ſacrum miniſterium affectant, prævià probatione, eaq; non ſemel tantùm inſtituenda, ſed ſæpiùs iterandâ, utpote Chriſtianus III. in *Ordinat. Eccleſ.* Ann. 1539. & in *Articulis* qui Ripis approbati ſunt Ann. 1542. nec non Chriſtianus IV. *Receſſus* ſui lib. I. Et ſanè jure meritoq; requiritur in futuro Scriba ſecundùm doctrinam Apoſtolicam Ebr. V. 12. 13. 14. ut qui *alios docebit, ipſe haud opus habeat denuo addiſcere elementa quædam eloquiorum Dei, aut lacte indigeat, quod infantium eſt*, aut ne ipſe νήπιος inveniatur, i. e. ingenio & moribus infans, imperitus, & imprudens, qui in negotiis ſe pueriliter gerat, veluti ſumitur hæc vox Rom. II. 20. Luc. X. 21. Eph. IV. 14. Sed ut τέλειος ſit, ſive quod idem eſt ἄρτιος 2. Tim. III. 17. ut ſolidum cibum, cùm ipſe concoquere, tum aliis præbere poſſit, utpote qui ſtudio & exercitatione quandam ἕξιν ſibi comparaverit, non conſuetudinem vel aſſuetudinem, ut Vulgatus & Eraſmus perperam reddunt, nec non Verſ. Germ. Socin. Gewonheit; ſed habitum, & quidem talem, qui definiente Galeno eſt διάθεσις χρόνιος καὶ δύσλυτος, cujus beneficio jam habeat τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ i. e. *ſenſus exercitatos ad diſcretionem boni & mali*, nempe non exteriores ſenſus, ſed interiorem illam intelligendi & judicandi facultatem, quæ αἴσθησις dicitur Phil. I. 9.

Imperatorũ decreta hac de re.

Regum Daniæ ſanctiones.

Locus Ebr. V. 12. 13. 14. explicatur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

eamq; bene confirmatam, ita ut verum à falſo, rectum ab obliquo, bonum à malo expeditè diſcernere valeat. Quomodo verò ſe gerere debeat Scriba, quando jam prævia hujuſmodi juſtâ δοκιμασίᾳ, tum in doctrina, tum in vita ἀνέγκλητος judicatus, & ad arduum atq; ſanctum illud munus admiſſus fuerit, id poſtmodum in prædicati expoſitione docebimus.

XXIV.

Prædicatũ in γνώμῃ noſtra.

SUbjecto jam explicato, ad prædicatum accedimus, quod in hac divina Servatoris ſententia ſubjecto noſtro adjungitur, nempe quod ejuſmodi γραμματεὺς ſit ſimilis Patrifamilias cuidam, qui depromit è theſauro ſuo, nova & vetera. Primò quidem dicitur, ὅμοιός ἐστιν ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ. In qua locutione apparet Ebraiſmus, quo ἄνθρωπος hic ſignificat *quendam, aliquem, quempiam*, ut Matth. XXI. 28. Ἄνθρωπος εἶχε τέκνα δύο, *quidam habuit filios duos.* Matth. XXII. 2. ἀνθρώπῳ βασιλεῖ, *cuidam Regi* c. XX. 1. ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ, *cuidam Patrifamilias.* Marc. XIV. 13. ἀπαντήσει ὑμῖν ἄνθρωπος βαστάζων *occurret vobis aliquis portans amphoram aquæ*, & hôc ipſô Matth. cap. XIII. comm. 45. ἀνθρώπῳ ἐμπόρῳ, *cuidam negociatori.* Alias eadem vox deſignat *quemlibet, unumquemq;*, ut ἡμᾶς λογιζέσθω ἄνθρωπος, *unusquisq; nos reputet* 1. Cor. IV. 1. & δοκιμαζέτω ἄνθρωπος ἑαυτὸν, *probet quilibet ſeipſum* 1. Cor. XI. 28. Sic Ebræum איש utramq; etiam ſignificationem admittit, ut Exod. II. 1. וילך איש מבית לוי i. e. *ivit aliquis de domo Levi*, LXX. habent ἦν δέ τις ἐκ τῆς φυλῆς Λευί; Hoſ. II. 20. איש לא יצילנה, LXX. οὐδεὶς οὐ μὴ ἐξέληται αὐτὴν, *nemo eripiet eam*; Pſal. I. 1. אשרי האיש, *beatus unusquisq;*. Confer Exod. XX. 20. XXVI. 3. Eſa. XL. 26. &c. Ebraiſmum obſervârunt interpretes meliores, Beza & Piſcator, *cuipiam Patrifamilias*, Luther. einem Haußvater / Diod. *un patron di caſa*, quos etiam verſiones Hiſpanica, Gallica, Belgica, Vernac. & Suecica ſeqvuntur, ſenſum lectionis Ebraizantis bene exprimentes. Fruſtra verò vocem *homini* heic retinent Vulgatus, Caſtalio, Tigurini, Tremellius & Anglus. Sed neq; textus Ebraicus eam omittit, vocem לאדם adhibens, neq; Syrus, Arabs, Æthiops & Perſa interpretes, & quidem genium lingvarum orientalium ſecuti. Verùm in lingvis occiden-

Ebraiſmus in voce ἄνθρωπος.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

cidentalibus vox illa ἄτοπος eſt, ſi alio ſenſu ſumatur, quàm eô, quem modò ſignavimus. Vocabulum οἰκοδεσπότης apud Scriptores ſacros Ἑβραΐζοντας reſpondet Ebræis vocibus בעל הבית, quæ & in textu Ebraico Matthæi h. l. extant, & in V. T. Exod. XXII. 8. nec non Jud. XIX. 22. 23. ubi redduntur per κύριον τῆς οἰκίας; quam locutionem etiam in N. T. repertam Marc. XIII. 35. non merè Helleniſticam eſſe (ſcil. eô ſenſu, quo novæ dialecti patroni ſomniant) ſed etiam Græco ſcriptori profano uſurpari, docet Seb. Pfochenius Diatr. §. 83. Deſignat verò id nominis *Patremfamilias*, quomodo h. l. à Hieronymo, Vulgato, Tigurinis, Calvino, Caſtalione, Beza & Piſcatore redditur; ſed talem, qui etiam *Dominus domus* exiſtat, uti Eraſmo obſervatum eſt. Nam id vult tum Græcæ vocis nativa vis, tum Ebraicæ, quæ huic reſpondet. Idem ſuadent interpretes, Syrus מרא ביתא, Arabs רב בית, & Æthiops, qui omnes *dominum domus* repræſentant, ſicut & Diodati ſupra laudatus, & Belgæ een Herr des Huys. Reliquæ verſiones ferè Patremfamilias heic deſignant, ut Lutheri, Joh. Ecken, & Socin. Germ. Hausvater / Hiſpan. *un padre de familia*, Gall. *un pere de famille*, Vernac. & Suec. en Huußbonde / præter Latinas jamjam allegatas. At Perſicus interpres vocem adhibet quæ notat *Oeconomum*, & Anglus habet *an housholder*. Quæ interpretamenta Græcæ vocis emphaſin non exhauriunt. Origenes exiſtimat per οἰκοδεσπότην intelligi ipſum Chriſtum, cujus æmuli eſſe jubeantur Apoſtoli, aliiq; in regno cœlorum Scribæ futuri. Verba ipſius hæc ſunt comm. in h. l. *Quoniam qui ſimilis dicitur alicui, alius eſt ab eo, cui dicitur ſimilis, erit quidem qui doctus eſt regno cœlorum Scriba, qui dicitur ſimilis, ſed alius ab hoc Patrefamilias, qui profert de theſauro ſuo nova & vetera. Vide igitur, num Paterfamilias fortè ſit ipſe Jeſus proferens de theſauro ſuo juxta doctrinæ oportunitatem, nova quædam ſpiritualia, quæ ſemper ab ipſo renovantur in interno juſtorum homine, qui & ipſi ſemper indies renovantur. Vetera verò, quæ per literas inſculpta ſunt lapidibus, & lapideis cordibus veteris hominis, ut comparatione literæ, & collatione Spiritus, divitem reddat Scribam, qui doctus eſt regno cœlorum, faciatq; ipſi ſimilem, donec diſcipulus fuerit ut Magiſter &c.* Nec abludere

Οἰκοδεσπότης quid notet?

Origenes Chriſtum intelligi putat nomine Patrisfamilias.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

Et Hieronymus ad h. l.

ludere videtur Hieronymus lib. II. comm. in Matth. ad h. l. *inſtructi erant Apoſtoli Scribæ & notarii Salvatoris, qui verba illius & præcepta ſignabant in tabulis cordis carnalibus, regnorum cœleſtium ſacramentis, & pollebant opibus Patrisfamilias, ejicientes de theſauro doctrinarum ſuarum nova & vetera.* Idem ſentit Hilarius in Matth.

Item Hilarius

can. XIV. *Non turbis, ſed diſcipulis eſt locutus, & intelligentibus parabolas dignum teſtimonium reddidit; ipſos ſcilicet ſub Patrisfamilias nomine ſibi comparans, quòd doctrinam de theſauro ſuo novorum Spiritûs Sancti & veterum ſint adepti.* Verùm ſicuti nihil cogit, ut Patrisfamilias nomine ipſum Chriſtum indigitari ſtatuamus, cum dici poſſit generalis ſententia, qvâ Apoſtolis Doctoris Evangelici munus declaratur, per parobolam à Patre familias qvovis deſumptam: Ita neq; quidquam eſt, quod magnopere re-

Nihil prohibet illud admitti.

pugnet, qvin credere liceat, Chriſtum ſe qvoq; ſub generali nomine Οἰκοδεσπότου comprehendiſſe, & Apoſtolos ſuos aliosq; Eccleſiæ Doctores ad exemplum ſuum imitandum hoc pacto invitâſſe. Videantur, qvæ ſupra dicta ſunt, quando connexionem horum verborum cum antecedentibus oſtendimus §. III. Sanè non inſolens eſt, qvòd Chriſtus parabolicè Οἰκοδεσπότης vocetur in Scriptura, ut Matth. X. 25. & Luc. XIII. 25. imò ipſe Deus Pater Matth. XIII. 27. XX. 1. 11. XXI. 33. Luc. XIV. 21. Aliàs id vocabuli qvemvis Patremfamilias ſignificat Matth. XXIV. 43. Marc. XIV. 14. 39. & Luc. XXII. 11.

XXV.

Verbi ἐκβάλλω ſignificatio.

HUic οἰκοδεσπότῃ tribuit Chriſtus, quod depromat è theſauro ſuo nova & vetera. In fontibus eſt verbum ἐκβάλλει, quod licet interdum violentam expulſionem notet, ut Matth. VII. 12. VIII. 12. 16. IX. 25. XXI. 12. 39. XXII. 13. Luc. XI. 14. tamen & ejectionem non invitam ſignificat Marc. I. 12. Luc. VII. 54. X. 2. imò qvamlibet emiſſionem, & actum qvemvis *proferendi* ſive *depromendi* rem aliquam, ut Matth XII. 20. & 35. ubi idem eſt quod προφέρω, veluti locus parallelus Lucæ VI. 45. oſtendit. Reſpondet verò apud LXX. Senes

Reſpondet tribus verbis Ebraicis.

vel Ebræo הוציא 2. Paral XXIX. 16. ubi de eductione rerum immundarum è Templo ſumitur; ſicq; ejusdem verbi participium מוציא in textu Matthæi Ebraico edit. Munſt. & Quin-

qvarb.

quarb. h. l. extat ; vel alteri verbo שלח Exod. XII. 33. ubi de emiſſione Iſraelitarum ex Ægypto accipitur : vel verbo שלך in *Hiphil* Eccleſ. III. 6. ubi opponitur τῷ φυλάξαι, quod in Hebræo eſt שמור. Hoc autem loco Eccleſiaſtis repræſentat actum proferendi è penu, diſtinctum ab actu recondendi, ſive aſſervandi, quandoquidem uterq; in bono Oeconomo vel promo-condo requiritur. Qua de re ſuprà monuimus §. XXII. Illud verbum h. l. Syrus reddit מפק *depromit*, Arabs יהרח *educet*, Æthiops & Perſa *profert*, Tigur. Caſtal. Tremell. *depromit*, Luth. herfür trägt / Diodat. *trae fuor*. Unde verò ἐκβάλλει noſter οἰκοδεσπότης? id in textu indicatur per vocem θησαυρῦ, quam etiam ſuprà explicavimus eodem paragrapho. Et cùm duo ſignificata habeat hoc vocabulum, uti eo loco docuimus, nempe & rei in poſterum reconditæ, & loci, ubi res iſta reconditur: quæritur, quænam harum ſignificationum huic loco maximè conveniat? Reſpondemus, tametſi neutra heic aliena aut incommoda videatur, tamen nos præferre poſteriorem illam, quâ ἀποθήκη, penus ſive promptuarium deſignetur: ita ut Chriſtus indigitet cellam ſive repoſitorium, ubi varia & multiplicia eduliorum genera à prudente Oeconomo, oportuno & indefeſſo ſtudio, congeſta & recondita ſunt, ſuo quæq; tempore inde in familiæ uſum depromenda. Nam cùm *nova & vetera*, quæ ſeqvuntur, ſint ipſæ res reconditæ, ipſi cibi ac edulia varia: oportet per *theſaurum* diverſum quid indicari, nempe loculum, ubi eæ res congeſtæ & aſſervatæ fuerunt. Et ſicut voces, quas Interpretes, Syrus, Arabs, Æthiops, Perſa, Vulgatus, Tigur. Beza, Tremellius, Diodati, Hiſpanus, Gallus, Anglus, heic adhibent, utrumq; ſenſum admittunt: ita poſteriorem noſtram ſignificationem ſingillatim exprimunt, Caſtalio per *promptuarium*, Vernac. Verſ. in marg. Kammer oc Kielder / Suecica Fatabuur / eamq; heic alteri præponendam cenſent H. Grotius, Beza, Heinſius, Piſcator & Ad. Contzen ad h. l. Quo ſenſu etiam Græcam vocem profanis Scriptoribus, & Latinam *theſauri* autoribus Latinis uſurpari docet Grotius ad Matth. II. 11.

Propria θησαυρῦ ſignificatio h. l.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

XXVI.

Nova & vetera quæ ſint?

PОrrò quænam ſint res, quas ex hoc theſauro depromit bonus Paterfamilias, docet Chriſtus, nempe καινὰ καὶ παλαιὰ, *nova ac vetera.* His verò vocibus, ſenſu literali proximo, repræſentatur varia ac multiplicia ciborum & eduliorum genera, quæ alendæ familiæ idonea ſunt & accommodata, partim recentia, partim vetera & diutiùs ſervata, prout unumquodq; eorum magis prodeſſe aut delectare valeat. Sic Sponſa Cantic. VII. 13. dicitur in gratiam dilecti ſui, quem rus invitat, ſe recondidiſſe כל מגדים חדשים גם ישנים, *omnia delicata, nova ſimul ac vetera.* LXX. habent πάντα ἀκρόδρυα νέα πρὸς παλαιά, *omnes nuces novas & veteres.* Syrus אבנין חדתין ועתיקין *poma recentia ac vetera.* Ubi nomen מגד, quod generali ſenſu notat quicquid in re quapiam eximium, nobile, excellens & exquiſitum eſt, & commodiſſimè Mercero judice per *delicias* verti poteſt, ut Deut. XXXIII. 13. 14. 15. non rectè voce aliquâ ſpeciali h. l. redditur, ſive à LXX per *nuces*, ſive à Syro ſimul ac Æthiope, Caſtalione & Tigurinis per *poma*, cùm rectiùs per generalem notionem *fructus* explicari poſſet, ſicut Cant. IV. 13. 16. hanc vocem פרי ſibi conjunctam habet, & præſtantiſſimos ac delicatiſſimos fructus deſignat. Unde rectiùs Arabs reddidit אעאר אלשחר *fructus arborum*, Junius *fructus pretioſos*, Diodati *delicie d' ogni ſorte, e nuove, e vecchie.* Intelliguntur enim heic literali ſenſu fructus delicatiſſimi & nobiliſſimi, & quidem omnis generis, tam recentes, quàm veteres, qui à Sponſa in gratiam Sponſi ſervari potuere. At ſenſu figurato deſignantur, Interprete Theodoreto, ad h. l. præcepta Veteris & Novi Teſtamenti, quæ Sponſa ſe depoſiti inſtar cuſtodiviſſe dicit. Quapropter etiam Theodoretus huc applicat noſtra καινὰ καὶ παλαιά ex hac Chriſti parabola. Nec aliter Gregorius Magnus in Expoſ. h. l. *omnia poma nova ac vetera dilecto ſuo Sponſa ſervat, quia ſic* Nov. *Teſt. Eccleſia Catholica recipit, ut Vetus non abjiciat: ſic vetus veneratur, ut novum ſemper in ipſis ſacrificiis carnalibus per ſpiritum intelligat, in novo ſcilicet Chriſtum veniſſe congaudens, in veteri autem ſemper venturum exſpectans.* Chaldæus verò Paraphraſtes locum Canticorum figuratè explicat de פתגמי אוריתא

Loc. Cant. VII. 13. explicatur.

ספריא ופתגמי אוריתא *verbis Scribarũ & verbis legis.* Simili ferè modo Iſraelitis morigeris promittit Deus Lev. XXVI. 10. ואכלתם ישן נושן וישן מפני חדש תוציאו *comedetis vetus inveteraſcens, & vetus à facie novi emittetis.* Senſus eſt, quòd Deus admiranda ſua benedictione annonam illorum ita multiplicaturus ſit, ut in multos annos reponi, & à corruptione conſervari poſſit, non tantùm neceſſitati plurium annorum ſuffectura, ſed & adeò abundatura, ut ſupervenientibus novis ſequentium annorum proventibus eam cedere neceſſe ſit. LXX. reddunt, καὶ φάγεσθε παλαιὰ, καὶ παλαιὰ παλαιῶν, καὶ παλαιὰ ἐκ προσώπου νέων ἐξοίσετε. Horum verò locorum collatio docet, in verbis Chriſti h. l. ſenſu literali proximo per καινὰ καὶ παλαιὰ deſignari omne genus ciborum & potuum, quos prudens Paterfamilias oportunè congeſſit in conditoriis ſuis, & ſuo quæq; tempore in familiæ uſum depromi curat. Inter illa varia eſculentorum & potulentorum genera ab Oeconomis commendari ſolent jam recentia, jam vetera, pro ut hæc vel illa gratiora, magisq; ſanitati aut voluptati convenientia videntur. Sic Pindarus Olymp. Ode IX. vinum vetus laudat, αἴνει δὲ παλαιὸν μὲν οἶνον, ἄνθεα δ' ὕμνων νεωτέρων, i. e. *lauda vetus quidem vinum, flores verò hymnorum* (poëmatum) *recentiorum.* Item Homerus Ὀδυσ. β.

Ἐν δὲ πίθοι οἴνοιο παλαιοῦ ἡδυπότοιο
Ἕστασαν, ἄκρητον θεῖον ποτὸν ἐντὸς ἔχοντες.

Locus Lev. XXVI. 10. illuſtratur.

Senſus literalis novorum & veterum.

Unde proverbium *nova hymetia, vetera phalerna*, apud Eraſmum Chil. II. cent. 2. Nam mel optimum cenſetur, quod recentiſſimum, vinum autẽ optimum, quod vetuſtiſſimum, teſte Macrobio Saturn. VII. Quam verò ob cauſam vetus vinum novo præferatur, & apud mulieres vir juvenis ſeni, vide apud Athenæum Dipnoſophiſt. lib. I. c. 23. Etiam Ebraicô adagiô per *nova ac vetera* repræſentari res omnis generis, monet Maldonatus ad h. l. & poſt illum Mart. Delrio in *Adagial. Sacr. Vet. Teſt.* P. II. adag. 173. qui tamen huc perperam refert locum Pſal. CXXXIX. 5. pravâ Vulgati interpretis verſione deceptus. At Joh. Lightfootus Anglus *in Horis Hebraicis ad Matth.* h. l. putat hæc dici *ſecundum dialectum Scholarum, ubi non infrequenter exagitatum eſt, quonam vino, quibusnam frugibus uten-*

dum in ſacris, & ritibus quibusdam, recentibus an veteribus, anni ſcil. præſentis an præteritorum, חדש או ישן. *Jam verò frugi homo, & rebus ſuis benè providens, & his & illis inſtructus erit, ad utrumlibet paratus, quod requireretur.*

XXVII.

Proximus parabolicæ locutionis ſenſus.

PLanum proinde eſt, quod hic ſit parabolæ Chriſti ſenſus literalis, proximè ab ipſo intentus: ſicuti bonus Paterfamilias non de ſuo tantum victu ſolicitus eſt, ſed repoſitam habet annonam in aliorum alimenta: non in diem ſecurè vivit, ſed longè in futurum tempus providet, & familiæ ſuæ proſpicit de omni re neceſſaria & utili, eamq; alit non parcè, non

Πρότασις.

miſerè, ſed liberaliter, omnia ciborum & potuum genera, quibus oportunè penum ſuum inſtruxit, depromens & diſpenſans in familiarium, vel hoſpitum invitatorum, neceſſitatem ac uſum, & quidem pro diverſitate perſonarum & temporum, interdum ea proferendo, quæ ſervando ſervari non poſſunt, quæq; ipſa novitas commendat, interdum ea quæ ſervari ſolent, & quibus vetuſtas pretium conciliat, & ferculorum varietatem ad varietatem palati convivarum attemperando, quandoquidem ferè omnes in convivio diſſentire videntur, dum alius aliud eligit probatq;: ita decet Scribam, ſive Docto-

Ἀπόδοσις.

rem Evangelicum, è divite divinæ ſcientiæ ac eruditionis ſuæ theſauro proferre, quæ jam in promptu habet, omnia antea congeſta, pro rei, loci ac auditorum conditione, atq; ita congruo tempore pro ſuo quemq; captu copioſè & luculenter docere ac inſtruere, variam, multiplicem & omnis generis doctrinam proponendo, jam per præcepta, jam per exempla, per parabolas, per ſimilitudines, prout auditores capiunt & intelligunt, ut illi per vetera hæc ſibi nota, & ſatis perſpecta adducantur in cognitionem rerum novarum, & myſteriorum cœleſtium ſibi antea inauditorum. Et hoc quidem ad ex-

Exemplũ Chriſti.

emplum ipſius ſummi Magiſtri, qui nihil faciebat reliquum ad diligentiſſimam & copioſiſſimam doctrinam, ejuſmodi docendi methodo uſus, ut res abſtruſas, & myſteria regni cœlorum, per parabolas, & exempla è rebus vulgaribus ac quotidiano uſu tritis deſumpta, explicaret, & hominibus inculcaret, veluti

ſuprà

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

ſuprà in connexione horum verborum docuimus §. IV. Huic verò Servatoris præcepto morem geſſerunt Apoſtoli, dum ſe ita auditorum ſuorum ingeniis ac captui accommodarunt, ut *omnia fierent omnibus, Judæis ut Judæi, exlegibus ut exleges, infirmis ut infirmi, idq́; ut omnes lucrifacerent, & omninò aliquos ſervarent*, quod de ſe omnium reliquorum nomine profitetur Paulus 1. Cor. IX. 20. 21. 22.

XXVIII.

Verùm per hæc nova & vetera inſuper ſenſu figuratô, quem etiam Chriſtus in parabola noſtra intendit, deſignantur procul dubio res Novo ac Veteri Teſtamento comprehenſæ, quas Scriba Evangelicus, providi Patrisfamilias æmulus, in uſum & plenam informationem auditorum depromere debet. Quod dum ſtatuimus, non noſtri cerebri placita obtrudimus, ſed veterum Patrum & optimorum Scripturæ Interpretum ſententiam exprimimus. Ut fidem liberemus, quorundam ex eorum numero explicationes, propriis eorũ verbis conceptas, adducemus. Inter eos verò primum ſe nobis ſiſtit Origenes locô ſuprà nobis allegato p. 11. *Qui verè Paterfamilias eſt, & liber eſt, & dives, abundans, eò quod ex tractatione literæ eruditus ſit regno Dei, in omni ſermone Veteris Teſtamenti, & in omni ſcientia novæ Jeſu Chriſti doctrinæ.* Et pag. 12. *Omnibus igitur modis conandum eſt, ut congregemus in corde noſtro, attendentes lectioni, exhortationi & doctrinæ, & in lege Dei meditando die ac nocte, non ſolùm nova Evangeliorum oracula & Apoſtolorum, & horum explanationes, verùm etiam vetera legis, umbram habentis futurorum bonorum, ac Prophetarum, qui his conſentanea prædixerunt.* Mox iterum: *Poteſt autem & ſimpliciùs Jeſus Paterfamilias proferre de theſauro ſuo, nova quidem, videlicet Evangelicam doctrinam, vetera verò, comparationem dictorum, quæ à Lege & Prophetis aſſumuntur, quorum exempla licet in Evangeliis invenire. Porro de his veteribus ac novis audire oportet & ſpiritualem legem in Levitico dicentem: & comedetis vetera, & vetera veterum, & vetera ex facie novorum educent. Comedimus enim in benedictione vetera, nimirum Propheticos ſermones, & horum veterum vetera, videlicet legis verba: mox ubi nova venerint & Evangelica, viventes ſecundum Evangelium, vetera literæ ex facie novo-*

Figuratus novorum & veterum ſenſus.

Patrum explicatio.

Origenis.

Chryſoſtomi. *rum educimus &c.* Origenem excipiat Chryſoſtomus Homil. XLVIII. in Matthæum ad h. l. Εἶδες πῶς οὐκ ἐγκλείει τὴν παλαιὰν, ἀλλὰ καὶ ἐγκωμιάζει, θησαυρὸν αὐτὴν καλῶν, ὥστε ὅσοι τῶν θείων εἰσὶν ἄπειροι γραφῶν, οὐκ ἂν εἶεν οἰκοδεσπόται, ὅσοι μήτε αὐτοὶ ἔχουσι, μήτε παρ' ἑτέρων λαμβάνουσιν, ἀλλὰ περιορῶσιν ἑαυτοὺς λιμῷ φθειρομένους. οὐχ οὗτοι δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ αἱρετικοὶ ἐκτός εἰσι τοῦ μακαρισμοῦ τούτου. Οὐ γὰρ ἐκβάλλουσι καινὰ καὶ παλαιά· οὐδὲ γὰρ ἔχουσι τὰ παλαιὰ, διὸ οὐδὲ καινά. ὥσπερ οὖν οἱ καινὰ οὐκ ἔχοντες, οὐδέ παλαιὰ ἔχουσιν, ἀλλ' ἑκατέρων ἐστέρηνται. Ταῦτα γὰρ ἀλλήλων συνδέδεται καὶ συμπλέκεται. ἀκούσωμεν τοίνυν, ὅσοι τῆς τῶν γραφῶν ἀμελοῦμεν ἀναγνώσεως, ὅσην ὑπομένομεν βλάβην, ὅσην πενίαν &c. Chryſoſtomum ſequatur Hieronymus lib.

Hieronymi. II. Comm. in Matth. h. l. *Apoſtoli erant ejicientes de theſauro doctrinarum nova ac vetera: ut quicquid in Evangelio prædicabant, Legis & Prophetarum vocibus comprobarent. Unde Sponſa dicit in Cantico Cantic. nova & vetera fratruelis meus ſervavi tibi.* Huic ſubjungimus

Auguſtini. Auguſtinum lib. Quæſt. Evangel. ſecundùm Matthæum, quæſt. XVI. *utrum iſta concluſione exponere voluit, quem dixerat theſaurum in agro abſconditum? quoniam ſanctæ ſcripturæ intelliguntur, quæ nomine duorum Teſtamentorum Novi & Veteris concluduntur. Quemadmodum apud alium Evangeliſtam gladium bis acutum tali concluſione videtur exponere.*

Hilarii. Accedat Hilarius locô ſuprà allegatô §. XXIV. *diſcipulos Scribas propter ſcientiam nuncupat, quòd intellexerint ea, quæ ille nova & vetera, id eſt, in Evangeliis & in Lege protulerit, & ejusdem patrisfamilias, & unius utraq; theſauri.* Conſentit Theodoretus Explan. in Cant. Cantic. dum

Theodoreti. verba illa Cant. VII comm. 13. modò nobis explicata §. XXVI. ita interpretatur: καὶ γὰρ τῆς παλαιᾶς διαθήκης τὰς ἐντολὰς, καὶ τῆς καινῆς διαθήκης τὰς ἀποθήκας, ὡς ὑπὸ τῆς μητρός μου, τῆς τοῦ πνεύματος χάριτος ἐδεξάμην, ταύτας σοι τετήρηκα, καὶ τὴν παρακαταθήκην ἄσυλον διεφύλαξα. τούτοις ἔοικε καὶ τὸ ἐν Εὐαγγελίῳ ὑπὸ τοῦ Κυρίου εἰρημένον, ὅτι πᾶς γραμματεὺς μαθητευθεὶς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, ὅμοιός ἐστιν ἀνθρώπῳ ἐκβάλλοντι ἐκ τοῦ θησαυροῦ αὐτοῦ νέα καὶ παλαιά. Ubi obſerva differentiam inter verba Chriſti, ut in codicibus noſtris jam leguntur, & allegationem Theodoreti, quæ 1. omittit particulam εἰς ante voces βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, 2. præterit vocem οἰκοδεσπότῃ, 3. pro ὅστις ἐκβάλλει habet ἐκβάλλοντι, 4. pro

καινὰ

καινὰ ſubſtituit νέα. Quæ diſcrepantia argumento eſt, eum è memoria produxiſſe hunc locum, libro haud inſpecto. Eadem cum modò laudatis Patribus mens eſt, de verborum Chriſti ſenſu, tum Ven. Bedæ, tum & Theophylacto, ac Euthymio in h. l. Addatur inſignis locus Irenæi lib. IV. adv. Hær. c. 21. Horum veſtigia premunt Interpretes recentiores, & quidem è noſtris ipſe Megalander Lutherus in not. marginal. Chemnitius in Harmonia, Flacius in Gloſſa, Brentius & Ægidius Hunnius Comment. in h. l. E Pontificiis Nic. Lyranus, & quinq; Jeſuitæ, ut Alph. Salmeron Comm. in Hiſtor. Euang. Tom. VII. tract. 12. Seb. Barradius Concord. Evang. T. II. lib. IX. c. 9. Maldonatus & Corn. à Lapide ad h. l. item Lorinus in Levit. p. 598. Idem admittit Corn. Janſſenius Epiſc. Gandav. in Concord. Evangel. c. LIII. nempe, *valde probabile eſſe, ſignificari è Vet. Teſt. libris vetera, & ex Evangelicâ Philoſophiâ nova.* Sed negat tantùm id *ad literam deſignari*, ſive *præcipuè ad hujus loci explicationem pertinere.* E Calvinianis aſſentiuntur Piſcator, Dav. Paræus, Heinſius, Diodati & Henr. Hammondus notis in h. l. nec non Rivetus in Iſag. S. Script. c. I. n. 3.

Recentiores Interpretes conſentiunt.

XXIX.

OCcurrunt heic nobis nonnulli, qui Vetus & Nov. Teſtam. his verbis deſignari negant, ut Alph. Toſtatus Epiſcopus Abulenſis Comment. in Matth. XIII. quæſt. LXXV. Calvinus in Harmon. Evangel. Mart. Bucerus in Enarr. h. l. nec non Nic. Gallaſius Annotat. ad Irenæi lib. IV. c. 21. Toſtatus quidem tria argumenta producit, quibus evincat geminum illud Teſtamentum heic non indigitari. Horum ſumma huc redit. I. *Quòd de Patrefamilias non de Scriba enuncietur, quod proferat nova & vetera. At de Patrefamilias dici nequit, quod depromat res Vet. & Novi Teſtamenti.* Eodem telo pugnat Bucerus, addens: *promere vetera & nova, eſt cui ſit aſſimilatio, non quod aſſimilatur. Neq; ſignificat niſi Patrisfamilias liberalitatem & copiam, qui non horna tantùm, ſed etiam quæ repoſita diu fuere, depromit.* 2. *Quia Chriſtus non loquitur de nobis, ſed de ſe & Apoſtolis. At Chriſtus & Apoſtoli non proferebant teſtimonia Vet. & Nov. Teſt. ſiquidem Scriptura Novi Teſtamenti tunc nulla erat, quando*

Repugnant nonnulli.

Eorum argumenta.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

do iſta dicebantur, unde nec poterat allegari. 3. *Quia Chriſtus hoc infert ex præcedentibus veluti conluſionem. Nempe quia intelligebant parabolas allatas, habebant copiam intelligentiæ & doctrinæ, quæ ſola heic ſignificatur.* Addit Toſtatus 4. quòd ſi V. & N. T. intelligerentur, *Abraham & Moſes & Prophetæ non poſſent dici Scribæ docti, quia non potuerunt proferre nova, quia nondum erant &c.* Hinc interpretationem iſtam de rebus utriusq; inſtrumenti Calvinus rejicit, *ut coactam*, Bucerus, ut *non firmam*. Ridiculus verò eſt Maldonatus Jeſuita, qui heic ſtomachatur in *novos hæreticorum Interpretes* (quos vocat) eò quòd *immeritò veterum explicationem reprehendant*, & nominatim Calvini Harmoniam in margine allegat. Cur verò id diſſimulat in ſuæ Eccleſiæ Doctore & Epiſcopo haud inter poſtremos ponendo? an fortè etiam Toſtatum inter novos hæreticorum Interpretes numerabit? ſanè nemo vehementiùs illo, aut pluribus argumentis, eam antiquorum interpretationem exagitavit. Sed facilis ad iſta reſponſio datur, nimirum ad 1. concedendo illud totum, ſi de ſolo ſenſu literali proximo intelligatur: non verò quoad ſenſum figuratum etiam à Chriſto per conſequentiam intentum. Nam ſi reſolvatur parabola in πρότασιν & ἀπόδοσιν, nexus illius hic erit: ſicut Paterfamilias depromit è theſauro ſuo nova & vetera, ſive ciborum & potuum genera, ſive pecuniam vel monetam novam & veterem, quod Toſtatus mavult, ut & Salmeron loc. cit. ſive ſupellectilem novam & veterem vaſorum aureorum & argenteorum, quæ in nuptiis adhiberi ſolent, quod placet Barradio loco ſuprà allegato: ita Scriba Evangelicus è promptuario eruditionis ſacræ profert res è Novo & Veteri Teſtamento, ſive ex Evangelio & Lege petitas. Ad ſecundum reſpondemus, Chriſtum & de ſe atq; Apoſtolis, & de nobis, aliiſq; omnibus Scribis & Doctoribus N. Teſt. loqui, cujus rei ſignum univerſale πᾶς fidem facit. Et ſi vel de ſe & Apoſtolis ſolis loqueretur, tamen non ſequeretur, quia Scriptura N. T. tum nulla erat, ideo eam non potuiſſe intelligi. Nam non tam ipſa Scriptura heic deſignatur, quæ rebus ipſis accidit, quàm doctrina ipſa Evangelica, & res libris Novi Inſtrumenti contentæ, atq; à legalibus Vet. Teſt. præceptis diſtinctæ:

Maldonatus notatur.

Reſpondetur ad objectiones. Ad I.

Ad II.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

ctæ: quam doctrinam jam prædicare cœperat Chriſtus, ac ad illam propagandam Apoſtolos & diſcipulos jamjam vocaverat, qui etiam mox ipſius juſſu eandem literis erant conſignaturi.

Ad III.

Ad tertium reponimus, nos non negare, quòd Chriſtus, vi conſecutionis ex præcedentibus, primò quidem & proximè commendet copiam intelligentiæ & doctrinæ: ſed id non prohibet, quò minùs ſenſu figurato, qui proprium ſequitur, ad V. & Nov. Teſt. res digitum intendat. Nam cum debeat Doctor Evangelicus, vi hujus parabolæ, variam & multiplicem doctrinam Auditoribus proponere, unde quæſo illam meliùs & convenientiùs depromet, quàm ex utroq; illo Teſtamento, vero & pretioſiſſimo omninò theſauro, omnisq; eruditionis promptuario ampliſſimo juxta ac inſtructiſſimo? Id quod adeò manifeſtum eſt, ut ipſe Alphonſus illud diffiteri nequeat.

Ad IV.

Quod verò 4. addit Abulenſis de Abrahamo, Moſe & Prophetis, eos non potuiſſe proferre nova, quia nondum erant, id planè falſum eſt. Nam erant omnino tum nova, & quidem à veteribus diſtincta, tum in promiſſionibus divinis, quæ ab ipſo mundi exordio Patribus datæ erant, tum in typis & figuris, tum in ſpe & exſpectatione fidelium Vet. Teſt. Unde Abrahamus, qui diem Chriſti vidit & gaviſus eſt Joh. VIII. 56. doctrinam de Chriſto & rebus N. T. non modò perſpectam habuit ipſe, ſed & alios eam docuit. Nam Doctoris publici munere functum eſſe Abrahamum, tum Sacræ literæ innuunt Gen. XVIII. 9. tum Joſephus docet Antiq. lib. I. c. 8. nec non Moſ. Maimonides de Idololatria c. I. Moſen verò de Chriſto quoq; & rebus N. T. ſcripſiſſe, autor eſt ipſe Servator Joh. V. 46. quod illuſtria illius vaticinia ſatis perſuadent. Deniq; Prophetas etiam propoſuiſſe doctrinam N. T., libri, quos reliquerunt, liquidò oſtendunt; quod etiam diſertè de illis teſtatur Petrus Act. X. 43. & 1 Epiſt. I. 10. 11. 12. imò ipſe Chriſtus Luc. XXIV. 27. & 44. Unde illud argumentum Toſtati ipſe Jeſuita Barradius loco jam citato *tenue* eſſe judicat, & opinionem iſtius Epiſcopi nominatim refellit. Quod & facit alter Jeſuita Salmeron loco itidem allegato, qui Abulenſis ratiocinium vocat non *uſquequaq; ſolidum*, additq;, eum *Domini*

 mentem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

mentem non rectè apprehendiſſe. Neq; illi aſſentitur Corn. à Lapide ad h. l.

XXX.

Quare nova præponuntur veteribus?

QUandoquidem verò nova & vetera hanc ſignificationem habent, quam modò explicavimus, non abs re quæret aliquis, quare heic *nova* præponantur *veteribus*, cum hæc illis jure præmittenda videri poſſint? Quæſtionem hanc inter alias movet Toſtatus num. LXXVI. ad quam reſpondet, dici poſſe, *quod mutatio ordinis ſine ullo myſterio fiat, quia non eſt neceſſe, quod eo ordine loquamur de rebus, qualem in eſſendo habuerunt ſecundum tempus.* Sed ſine dubio ratio aliqua mutati ordinis ſubeſt, quandoquidem in ipſa hac parabola, vetera & nova antea alio ordine deſignata fuerant, vetera quidem voce γραμματέως, nova verò locutione μαθητευθεὶς εἰς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν.

Hammondi ratio.

Henr. Hammondus, doctiſſimus Interpres N. T. in lingva Anglicana, id fieri putat per ἐπάνοδον, quam etiam ὑστέρησιν vocat, nempe figuram ſæpiùs in ſacris literis uſurpatam, quâ illud, quod priore loco ponendum erat, poſteriorem occupat, quomodo Matth. VII. 6. quod ad canes prius memoratos pertinet, nempe *lacerare*, id poſteriore loco ponitur: & vice verſâ, quod de porcis poſt canes nominatis dicitur, priore loco, memoratur, ſcilicet *pedibus conculcare.* Ad quem locum Matthæi Hammondus complura hujuſmodi locutionis exempla allegat, ut Matth. XII. 22. XXIII. 16. 18. 20. Rom II. 12. 13. 14. 2. Cor. II. 15. 16. Ebr. V. 1. 2. ſeqq. & aliis in locis.

Toſtati & Salmeronis.

Alphonſi duo, Toſtatus & Salmeron, locis ſupra citatis, eam rationem mutati ordinis producunt, quam ad *propoſitum literæ* quadrare exiſtimant, nempe *quia loquitur Chriſtus de theſauro Patrisfamilias, in quo eſt pecunia ſive moneta vetus & nova, & quia nova abundat magis quàm vetus, promptius eſt de theſauro nova quàm vetera proferre. Quod ergo communius, frequentius & promptius eſt, prius nominavit.* Sed frivola nimis eſt hæc ratio.

Auguſtini ſententia.

Longè convenientior eſt, quam Auguſtinus allegat lib. XX. de Civit. Dei. c. 4. deſumptam à dignitate & ordine Novi Teſtamenti, cujus gratia hoc veteri præmittatur. Verba Hipponenſis Epiſcopi hæc ſunt: *Quamvis vetera priora ſint tempore, nova tamen anteponen-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

ponenda ſunt dignitate : quoniam illa vetera præconia ſunt novorum. Nova igitur ponenda ſunt prius, quæ ut firmius probemus aſſumentur & vetera. In veteribus habentur Lex & Prophetiæ, in novis Evangelium & Apoſtolicæ literæ. Juſtitia autem Dei (de qua Apoſtolus Rom. III. 20. 21. 22.) *ad novum pertinet Teſtamentum, & teſtimonium habet à veteribus libris, hoc eſt à Lege & Prophetis. Prius ergo ipſa cauſa ponenda eſt, & poſtea teſtes introducendi. Hunc & ipſe Jeſus* Chriſtus *ordinem ſervandum eſſe demonſtrans,* Scriba, *inquit, eruditus in regno Dei, ſimilis eſt viro Patrifamilias proferenti de theſauro ſuo nova & vetera. Non dixit vetera & nova, quod utiq; dixiſſet, niſi maluiſſet meritorum ordinem ſervare quàm temporum.* Sanè dignitatem & præcellentiam Novi Teſtamenti præ Veteri ipſe *Nov. Teſt.* Dei Spiritus commendat, quando hoc vocat κρείττονα διαθήκην, *dignitas.* *melius pactum* Ebr. VII. 22. & VIII. 6. ubi inſuper dicitur διαφορωτέρα λειτουργία, *præſtantius miniſterium*: item quando Apoſtolus ait 2. Cor. III. 9. Εἰ γὰρ ἡ διακονία τῆς κατακρίσεως, δόξα, πολλῷ μᾶλλον περισσεύει ἡ διακονία τῆς δικαιοσύνης ἐν δόξῃ: imò quando idem mox illi tribuit τὴν ὑπερβάλλουσαν δόξαν, *ſupereminentem gloriam* comm. 10. Quod verò etiam in ordine & methodo *Ordine* docendi N. Teſtamentum præcedere debeat, & prius Veteri *prius N.T.* explicandum ſit, id non modò clarior revelatio in N. T. facta requirit, ſed & ab Apoſtolo innuitur Eph. II. 20. ubi in divino illo ædificio, quod præcipuo angulari lapidi Chriſto ſuperſtruitur, & quidem circa illius fundamentum, Apoſtoli anteponuntur Prophetis. Adeoq; haud ſine ratione in verbis Chriſti nova veteribus præmittuntur.

XXXI.

Apparet proinde inſtitutum Servatoris, qui hâc parabolâ *Nexus V.* oſtendere voluit, quis in doctrina ſalutari hominibus pro- *& Nov.* ponenda nexus eſſe debeat utriusq; illius Teſtamenti, Novi *Teſt.* ac Veteris, ſive Evangelii & Legis, & quomodo neutra pars ab altera disjungenda aut divellenda ſit. Nam ſicut Novum fœdus lucem Veteri fœneratur, & vice verſâ ab illo quandoq; lucem accipit: ita populo Chriſtiano apprimè utile eſt, quando cœleſtis doctrina, quæ illi proponitur, ex utriusq; inſtru- *Harmonia* menti tabulis hauritur & confirmatur, utriusq; harmonia ac *utriusq;* con-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

concordia oſtenditur, ſimulq; docetur, quomodo vetus novi typus, novum verò veteris antitypus exiſtat. Etenim una eſt utriusq; Teſtamenti catena. Ubi vetus deſinit, ibi novum incipit. Vetus quidem ab ultimo Prophetarum Malachia clauditur vaticinio de aduentu Baptiſtæ Præcurſoris Chriſti Malach. IV. 5. 6. collato cum Matth. XI. 14. Luc. I. 17. Inde verò Nov. Teſt. incipit, atq; inde ducitur ἀρχὴ τοῦ Ἐυαγγελίου Ἰησοῦ Χριστοῦ Marc. I. 1. 2. ſeq. Conjungenda etiam eſt Lex cum Evangelio, & Evangelium cum Lege. Nova doctrina cum veteri ſcitè riteq; copulanda eſt, ad auditorum uſum & ædificationem. Sed in iſta conjunctione vitanda omnino eſt confuſio. Quemadmodum duo iſta inter ſe ſunt oppidò diſtincta, ita etiam diſtinctè ſunt tradenda & inculcanda. Non omittenda eſt vetus illa doctrina, quæ in prima creatione hominibus inſita eſt, & magnam partem naturâ nota, poſtmodum verò ſolenni X. præceptorum promulgatione per Moſen ante hos ter mille annos & amplius in monte Sinai repetita: tametſi ejus veſtigia haud obſcura ante illud tempus in hiſtoria Moſaica deprehendere liceat, veluti aliis pridem eſt obſervatum. Docendi ſunt homines, qui ad regnum cœleſte perducendi ſunt, quid ſibi velit lex vetus: ſcil. illa *lex perfecta* Pſal. XIX. 8. *lex ſancta, juſta & bona* Rom. VII. 12. *lex Regia* Jac. II. 8. & quid illa ab hominibus requirat, nempe exquiſitam & omnibus numeris abſolutam præceptorum divinorum obſervantiam, idq; ſub pœna æternæ maledictionis Deut. XXVII. 26. Gal. III. 10. Monendi ſunt, quod hæc omnino omnes homines obliget, non modò tanquam norma divinæ ſanctitatis, quæ, ut ſoli radius reſpondet, ita primævæ imaginis divinæ homini concreatæ indolem ex aſſe refert Col. III. 10. & cœlitum beatorum ſanctitatem ſpeculi inſtar repræſentat 1 Cor. XIII. 12. ſed & tanquam menſura recti boniq; adæquata, & ſimul obliqui ex oppoſito, quod eſt ἡ ἀνομία 1. Joh. III. 4. Quod idcirco nullam prorſus κατάλυσιν admittat Matth. V. 17. i.e. nullam diminutionem, quâ dictis factisve oppugnetur, ſive de ea quicquam derogetur, uti docet collatio locorum Deut. XII. 8. 32. Joh. X. 35. Inculcandum eſt auditoribus, quomodo illa

Lex cum Evangelio conjungenda.

Vetus legis doctrina.

Legis doctrina proponenda.

vetus

Lex quomodo obſignata?

vetus lex obſignata ſit fœderali inſtrumento, eoq́; tum antiquiſſimo illo, quod obſcuriùs deſignatum ſive adumbratum fuit in paradiſo, tam per arborem vitæ, tanquam ſigillum immortalitatis & æternæ vitæ Adamo ſub fœdere operum promiſſæ, nimirum ſub obedientiæ perſeverantis conditione: quàm per arbotem ſcientiæ, ſignum dominii Adamo divinitus dati, non abſoluti, ut ut ampliſſimi & in omnes creaturas extenſi, ſed à Deo dependentis, & in hac una re limitati: tum altero antiquo quidem, ſed illo recentiore, & clariùs expreſſo per publicam ſolennitatem Exod. XXIV.

PerLegem quomodo informandi homines.

Excitandi ſunt homines per veterem hanc legis doctrinam, & informandi de obedientia perfectiſſima, quam illa poſtulat ſecundùm omnes vires humanas, interiores æquè ac exteriores, tum in reſpectu ad Deum Deut. VI. 5. Matth. XXII. 37. ubi omnia integra poſcuntur, cor totum & purum ſine macula, Deus ſolus ſine ſocio, gradus ſummus ſine defectu: tum in ordine ad proximum Lev. XIX. 18. Matth XXII. 38. Rom. XII. 8, 9. 10. ubi dilectio ipſius exquiſita, ardentiſſima, integra, & conſtans requiritur. Oſtendendus eſt ille indiſſolubilis præceptorum Dei nexus, ut ne minimum quidem eorum violari poſſit ſine ſalutis diſpendio Matth. V. 19. Sed omnia ex æquo obſervari debeant Matth. XXIII. 23. adeò ut ſi quis univerſâ impletâ, in una ſola re imprudens vel leviter deliquerit, totius violatæ reus fiat Jac. II. 10. nempe ἔνοχος, damnas, exterioribus tenebris jam adjudicatus Matth. XXII. 13. Adeoq́; licet per ſe vitam & beatitudinem promittat lex Luc. X. 28. Matth. VII. 2. Rom. II. 13. unde per λόγια ζῶντα exprimitur Act. VII. 38. nempe per modum viæ & conditionis Lev. XVIII. 5. Matth. XIX. 17. Gal. III. 12. tamen & illud hominibus proponendum eſt, quod, quia ipſa à miſeris mortalibus præſtari & impleri nequit Act. XV. 10. collato cum Matth. XXIII. 23. &

Legis effectus varii.

Luc. XI. 46. eapropter per accidens *mortifera ſit* Hoſ. VI. 4. *iram operetur* Rom. IV. 15. *ad interitum ducat* Rom. VII. 10. *occidat* 2. Cor. III. 6. *execrationem inferat* Gal. III. 10. Quo pacto demum ſit pædagogus ad Chriſtum Gal. III. 24. quando homines jam in peccati cognitionem inductos Rom. III. 20. VII. 7.

ſuam miſeriam intelligentes ; territos & humiliatos coram Deo, deq; ſalute in iſta via invenienda deſperantes, manu quaſi ducit ad Medicum illum, quo opus non habent, qui ſibi ſani videntur Matth. IX. 21. & oſtendit, quomodo in illo juſtitiam veram conſequi liceat Phil. III. 10. quippe qui eſt finis legis ad juſtitiam omni credenti Rom. X. 4.

XXXII.

Addenda doctrina Evangelica.

ATq; ita ad veterem illam legalem accedet nova Evangelii doctrina, de filio Dei in plenitudine temporis demum exhibito, & gratioſo illius merito per fidem applicando, quæ *nova res* jure dicitur, tanquam μυστήριον χρόνοις αἰωνίοις σεσιγημένον Rom. XVI. 25. in quo Deus Pater, antea nulli mortalium viſus, per filium revelatus eſt Joh. I. 18. Unde & abſolutè dicitur μυστήριον Eph. I. 9. III. 3. i. e. *res arcana, ſecreta, abſcondita, abſtruſa*, quæ quamplurimis latet, à verbo μύω *occludo, comprimo*, quod de ore & labiis propriè & plerumq; uſurpatur, unde μυεῖσθαι eſt *rebus ſacris & arcanis initiari*, atq; μύστης rerum ejusmodi antiſtes, cui fas erat, docente Euſtathio, μύειν τὸ στόμα, καὶ μὴ ἐκφαίνειν ἃ μεμύηται. Niſi cum Druſio ad Eph. I. 9. & Caſaubono Exerc. XVI. Sect. 43 (ubi in voce hac explicanda operoſus eſt) malis nominis natales ab oriente arceſſere, & quidem ab Ebræo מסתר, in participio Hophal, *rem latentem, & reconditam* deſignante. Imò dicitur μυστήριον τοῦ Χριστοῦ, ὃ ἐν ἑτέραις γενεαῖς οὐκ ἐγνωρίσθη τοῖς υἱοῖς τῶν ἀνθρώπων, ὡς νῦν ἀπεκαλύφθη τοῖς ἁγίοις ἀποστόλοις αὐτοῦ καὶ προφήταις ἐν πνεύματι Eph. III. 4. 5. item μυστήριον τοῦ Εὐαγγελίου Eph. VI. 19. τὸ μυστήριον τοῦ Θεοῦ καὶ πατρὸς καὶ τοῦ Χριστοῦ Col. II. 2. IV. 3. μυστήριον τῆς πίστεως, & ὁμολογουμένως μέγα τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον 1. Tim. III. 9. 15. τὸ μυστήριον τὸ ἀποκεκρυμμένον ἐν τῷ Θεῷ ἀπὸ τῶν αἰώνων καὶ ἀπὸ τῶν γενεῶν, νυνὶ δὲ φανερωθὲν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ Eph. III. 9. Col. I. 26. nec non σοφία Θεοῦ ἐν μυστηρίῳ ἡ ἀποκεκρυμμένη, ἣν οὐδεὶς τῶν ἀρχόντων τοῦ αἰῶνος τούτου ἔγνωκεν 1. Cor. II. 7. 8. Hæc eſt nova illa doctrina, nempe διδαχὴ ἡ καινὴ, quam Chriſtus annunciavit Marc. I. 27. quam etiam Paulus Athenis prædicavit Act. XVII. 19. conſtans ἐντολαῖς καιναῖς Joh. XIII. 34. 1. Joh. II. 8. nempe præceptis non omni ex parte novis, ſed novo modo traditis & inculcatis. Quæ eapropter comparatur

Μυστήριον quid?

Quale μυστήριον ſit Evangelium?

Nova doctrina Evangelica.

ratur *panno novo*, & *vino novo*, Matth. IX. 16. 17. Luc. V. 36. 37. Eſt doctrina Novi Teſtamenti, quæ ſonat in *nova Jeruſalem, quæ de cœlo deſcendit* Apoc. III. 12. illâ nimirum novâ urbe, *quæ recens ornata eſt inſtar Sponſæ marito ſuo* Apoc. XXI. 2. quæq; diſtincta eſt à legali veteris Hieroſolymæ doctrina, ſervitutis nuncia Gal. IV. 24. 25. Hæc nova doctrina diligenter tradenda & explicanda eſt à Scriba regni cœlorum, qui *factus eſt idoneus miniſter Novi Teſtamenti* 2. Cor. III. 6. Sed ita tamen, ut neq; veterem ille negligat aut aſpernetur. Quamvis enim vetus Teſtamentum, quod eſt è monte Sinai, ad ſervitutem generet, & inferius ſit τῇ ἄνω Ἱερουσαλήμ, quæ *libera eſt* Gal. IV. 24. 26. quamvis ſit *miniſterium literæ occidentis*, ἐντετυπωμένον ἐν λίθοις, quod ſuperveniente magis glorioſo aboleri debuit 2. Cor. III. 6. 7. 11. adeoq; cedat novo Fœderi tanquam meliori Ebr. VII. 22. VIII. 6. & tanquam excellentiore gloriâ abundanti 2. Cor. III. 9. 10. tamen etiam vetus illud ſuâ gloriâ coruſcat ibid. v. 7. 11. quippe quod eundem cum novo autorem habuit Pſal. CXLVII. 19. 20. eâdem cauſâ impulſivâ natum Pſal. CIII. 8. Rom. IX. 13. eandem doctrinam continens Rom. III. 1. 2. in eodem objecto nempe Chriſto ejusq; merito prædicando, quanquam ſub diverſa ratione, occupatum Joh. V. 39. 46. Act. III. 22. 23. 24. X. 43. XIII. 32. 33. 1. Pet. I. 10. 11. in eundem finem directum, eandemq; ſalutis viam oſtendens Actor. XV. 11. promiſſione bonorum ſpiritualium æternæq; felicitatis ſæpius propoſitâ & præceptis legalibus adjectâ Lev. XXVI. 11. 12. Ebr. XI. 9. 10. Eſa. XXV. 6. 7. 8. Act. XXIV. 14. 15. Docebit Scriba noſter, quomodo illud, quod in Vet. T. erat promiſſum, magnaq; ſpe & exſpectatione deſideratum, jam in N. T. ſit exhibitum & impletum Matth. XIII. 16. 17. Luc. X. 23. 24. Act. XXVI. 6. 7. & quod ibi variis ſignis, typis & figuris erat adumbratum, jam in N. T. absq; ullis umbrarum involucris ſit patefactum Ebr. VIII. 5. X. 1. Col. II. 19. Joh. XIX. 30. 36. ita ut N. T. ſit quaſi συντέλεια, *conſummatio & complementum Veteris*, docente Dei Spiritu Jerem. XXXI. 31. Ebr. VIII. 8.

Sed nec vetus doctrina negligenda.

Collatio utriusq; Teſtam.

Nexus V. & N. Teſt.

Verùm

XXXIII.

Cavenda heic extrema.

VErùm enimverò ſtudioſè heic vitandi ſunt infames aliorum naufragiis ſcopuli, & cavenda extrema, in quæ incauti ac imprudentes ruere ſolent. Ab unâ parte fugienda eſt confuſionis inhoſpita Syrtis, quâ juſta novorum & veterum differentia tollitur: ab alterâ vitanda eſt infeſta Charybdis, quâ nimium inter illa intervallum conſtituitur. In illam inci-

Calvinianorum error.

dunt Calviniani pleriq;, qui Veteri Teſtamento eandem omnino ſubſtantiam cum Novo tribuunt, differentiam verò qualem qualem in ſolo accidentariæ adminiſtrationis modo ponunt, ut Calvinus ipſe Inſtitut. lib. II. c. X. n. 2. ejusq; hyperaſpiſtes Zvingerus in Defenſ. Calv. pag. 213. Polanus Syntag. lib. VI. 11. Trelcatius Loc. Comm. lib. II. art. de *Fœdere Dei*, Muſculus L. C. loco XXII. Petrus Martyr Claſſ. I. L. C. loco XVI. Piſcator Vol. I. loco IX. th. 12. Urſinus Catech. P. II. p. 130. Grynæus Diſp. Theolog. vol. II p. 125. 160. Quorum aſſertiones ad illum ſcopum præcipuè collineant, ut eandem

Sacramenta V. & N. Teſt.

prorſus rationem faciant Sacramentorum Vet. & Nov. Teſt. Chriſtumq; eodem modô utrobiq; præſentem eſſe evincant, nimirum per ſolam viſibilium ſignorum analogiam & repræſentationem, veluti hoc agunt non modò autores jam allegati, nominatim Calvinus Inſt. lib. IV. c. XIV. n. 23. & Gry-

Diſcrimen V. & N. T. ſubſtantiale.

næus diſput. de Sacr. V. & N. T. th. 6. Sed & Mornæus de Euchar. l. IV. n. 3. Combachius de Euchar. c. 4. Ant. Walæus Loc. Com. p. 923. Imò ipſæ confeſſiones Calvinianorum, ut Helvetica poſterior, & Anglicana, id rotundis verbis declarant. Sed magnopere falluntur illi, quandoquidem tantum omnino diſcrimen inter utrumq; fœdus agnoſci debet, ſecundùm ductum ſacræ paginæ, quantum eſt inter promiſſionem rei alicujus deſideratæ, & ejus exhibitionem Matth. XIII. 16. 17. Act. XXVI. 6. 7. 1. Pet. I. 10. 11. nempe inter ἐπαγγελίαν & ἀποκάλυψιν Gal. III. 17. IV. 4. Rom. I. 2. 3. 1. Pet. I. 12. 13. inter τὴν σκιὰν & τὸ σῶμα Col II. 17. inter ὑπόδειγμα, ſive τὴν εἰκόνα, ſive παραβολὴν τοῦ καιροῦ ἐνεστηκότος, & inter τὰ ἀντίτυπα, ipſa τὰ μέλλοντα ἀγαθὰ, ſive rem imagine iſta, typis & umbris deſignatam Ebr. VIII. 5. IX. 23. X. 1. Inter hæc verò ſub-

ſtan-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

ſtantiale diſcrimen dari quis inficiabitur? Addimus argumentum validiſſimum, deſumptum è verbis Apoſtolicis 2.Cor.III. 11. & Ebr. VIII. 13. Quæcunq; ita differunt, ut unum ſit antiquandum & abolendum, alterum verò ſtabiliendum & permanſurum, ea non differunt accidentaliter tantùm. At Vet. & Nov. Teſt. ita diſtant à ſe invicem. E. Ad Sacramenta verò Vet. & Nov. Teſt, quod attinet, quanquam concedamus generalem inter ea harmoniam & analogiam, 1. quoad eorum originem divinam 2. naturam genericam, 3. eandem vim ſalutarem, & ejus parem utrobiq; applicationem, beneficio fidei, ceu inſtrumenti : tamen etiam ſpecificam illorum differentiam ſtatuere neceſſum habemus, quam è ſacris literis adſtruimus, non modò quoad 1. materiam terreſtrem, quæ extra controverſiam alia in illis, alia in noſtris: vel 2. formam ac formales actiones, quarum diſcrimen itidem manifeſtum eſt: vel 3. amplitudinem locorum & objectorum, quæ in V. T. minor, & inter pomæria gentis Judaicæ coarctata; at in N. T. major, imò Catholica, omnibus lingvis & nationibus communis: vel 4. quoad rationem temporis, quæ ibi tantùm extendebatur μέχρι καιροῦ διορθώσεως Ebr. IX. 10. heic verò eundem cum ſeculo terminum habitura eſt Matth. XXVIII. 20. 1.Cor. XI. 26. ſed in primis quoad ipſam materiam cœleſtem, quæ in Vet. Teſt. fuit agnus typicus, in N. T. ὁ θεάνθρωπος: illic latuit in umbraculo, heic in corpore ſe ſiſtit: fuit ibi ſignum ſine corporis præſentia, heic ſignum corporis μεταδοτικὸν & exhibitivum. Sicut σπάργανα, quibus recens natus Chriſtus involvebatur, & ſigna erant nati Servatoris, & ſimul eundem exhibebant: ita & hodierna Sacramenta ſigna ſunt, & organa offerentia.

Convenientia & differentia Sacramentorum V. & N. Teſt.

XXXIV.

PRoinde diſtingvendum eſt probè inter nova hæc & vetera, nec confundendum eſt illud, quod ſub aliquo Teſtamento exiſtit, cum ea re, quæ de ſubſtantia ejus Teſt. eſſe cenſetur. Lex moralis juxta ac Evangelium ſub utroq; Teſtamento exiſtunt, & tamen ad neutrius ſubſtantiam diſtinctè pertinent. Leges verò ceremoniales & figuræ V. T. ſub du-

Diſtinctio heic obſervanda.

plice ratione conſiderandæ ſunt, 1. ratione actuum, qui aliquid oneris continent, & horum reſpectu ad V. T. ſpectant, 2. ratione imaginis & typi, ob quam ad N. T. referuntur. Neq; tamen inde ſequitur, quod in ejuſmodi figuris & præluſionibus conſiſtat ſubſtantia V. T. propterea quòd ſub illo Vet. Fœdere actu extiterint. Unde ſupervacanea eſt Matth. Flacii ἀκρίβεια, qui non contentus binario Teſtamentorum numero, tertium addere voluit Præfat. in Gloſſam Compend. N. T. nempe illud, quod Deus cum Adamo nuper lapſo pepigit, Gen. III. deinde cum Abrahamo renovavit, ac illuſtrius reddidit Gen. XII. XV. XVII. XXII. eiq; ſignum fœderale Circumciſionis addidit Gen. XVII. quod ipſe Flacius vocat pactum *Abrahamicum* ſive *promiſſionis*, diſtinctum à ſecundo illo, quod dici poteſt *Moſaicum* ſive *Legale*, & à tertio quod Teſtamentum *Meſſiæ* ſive *Impletionis* nominare licet. Pro confirmanda ſua ſententia urget Flacius nonnulla ſcripturæ loca, in primis Gal III. 16. 17. Sed facilè ſolvitur ille nodus, & phraſes Spiritus S. ſatis intelliguntur, ſi id unum obſervetur, quod fœdus illud gratioſum, à Deo cum Patriarchis ſancitum, ratione ipſius rei promiſſæ ab ipſo N. T. haud differat: quoad modum verò repræſentandi ad V. T. pertineat. Non quòd illi rerum futurarum typi de ſubſtantia V. T. fuerint, uti Calviniani volunt, ſed quòd ſub V. T. extiterint: quanquam magis ad Evangelium N. T. ſpectaverint, quàm ad ipſum V. T. Hinc ipſum illud Teſtamentum novum, (quod ſive à *Meſſia*, ſive ab *Impletione* promiſſionum denominaveris, nihil refert) vocatur ἡ διαθήκη προκεκυρωμένη, *quæ legem latam quadringentis & triginta annis anteceſſit* Gal. III. 17. Nam ſi hic locus diligentiùs expendatur, Flacii opinioni magis adverſatur, quàm favet.

Flacii opinio de tribus Teſtamentis.

Difficultas illa explicatur.

Binarius numerus Teſtamentorum probatur è Scriptura.

Binarius autem Teſtamentorum numerus in ſacris literis ſatis manifeſtè traditus eſt, ut plura admittere haudquaquam conveniat. Etenim diſertis verbis memorantur αἱ δύο διαθῆκαι Gal. IV. 24. quarum prior *è monte Sinai eſt*, altera ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ v. 26. illa *ſervituti obnoxia*, hæc *libera*. Sic & cap. III. 17. 18. 19. 21. 22. continua eſt oppoſitio inter duo tantùm, nempe νόμον, καὶ ἐπαγγελίαν, ſicut & inter *pædagogum* & *fidem* v. 23. 24. 25.

Sic

Sic 2. Cor. III. itidem duo tantùm opponuntur, ut καινὴ διαθήκη, & παλαιὰ διαθήκη v. 6. 14. γράμμα, & πνεῦμα v. 6. διακονία θανάτου ἐν γράμμασιν, & διακονία πνεύματος v. 7. 8. *miniſterium condemnationis*, & *miniſterium juſtitiæ* v. 9. τὸ καταργούμενον; & τὸ μένον v. 11. Sic & in Epiſtola ad Ebræos duo tantùm Teſtamenta ſæpius indigitantur, ἡ πρώτη διαθήκη, & ἡ δευτέρα c. VIII. 7. prior *cum patribus ſancita, poſtquam eos ex Ægypto eduxerat Deus* v. 9. & quidem ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ τῶν ἐπουρανίων λατρεύουσι v. 5. altera *nova* v. 8. *præſtantior* & *melior* v. 6. peculiari modo inſtituenda v. 10. 11. 12. ſecundùm vaticinium Jeremiæ c. XXXI. 31. 32. ſeq. ἡ πρώτη παλαιουμένη καὶ γηράσκουσα, altera λεγομένη καινὴ v. 13. σκηνὴ χειροποίητος, & μείζων καὶ τελειοτέρα σκηνὴ cap. IX. 11. pactum per *ſangvinem hircorum & vitulorum confirmatum*, & alterum per *ſangvinem Chriſti inſtitutum* v. 12. 13. 14. διαθήκη πρώτη, & διαθήκη καινὴ v. 15. σκιὰ τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, & αὐτὴ ἡ εἰκὼν τῶν πραγμάτων c. X. 1.

Ex Epiſt. ad Ebræos.

Quod verò Calviniani nonnulli volunt, notionem *Veteris Teſtamenti* in ſacris literis quandoq; deſignare fœdus illud gratuitum, quod Deus cum Patribus inivit ſtatim poſt lapſum protoplaſtorum, id cum veritate haudquaquam congruit. Fatemur quidem, à Scriptoribus Eccleſiaſticis vocabulum illud eo ſenſu nonnunquam accipi: ſed nuſquam in ſacris & θεοπνεύστοις monumentis eam notionis illius ſignificationē reperiri, patet ex inductione omnium locorum, ubi *Veteris Teſtamenti* mentio occurrit. Quod vel loca illa, quæ jamjam à nobis ſuprà allegata ſunt, docere poterunt, ubi ſemper & perpetuâ Scripturæ phraſi legale illud fœdus denotatur, quod Deus cum Iſraelitis miniſterio Moſis pepigit, cujus ſolennitates præcipuæ narrantur Exod. XXIV. Quæ etiam eapropter eſt conſtans Theologorum noſtrorum ſententia, ut Chemnitii, Hutteri, Gerhardi, Broehmanni, Gieſſenſium & aliorum.

Notionis V. Teſt. ſignificatio Biblica.

Hinc non modò diſertis verbis S. Scripturæ probantur, ſed & variis typis ac figuris adumbrantur duo tantùm Teſtamenta, ut *per duos Cherubinos*, qui propitiatorium in Arca Fœderis alis ſuis tegebant Exod. XXV. 18 ſeq. interprete Gregorio M. *in Ezechiel. Homil.* IV. per *duos viros uvam ex terra Canaan portantes* Num. XIII. 2, teſtibus Augusti-

Etiam typis variis adumbrantur duo Teſtamenta.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

guſtino *Serm.* 100. *de Temp.* Ambroſio *Serm.* 72. *de Cypriano*, Hieronymo *ad Fabiol. in Manſion. XV.* Ruperto ad h.l. & Bernhardo in Cant. *Serm.* 44. per *duo ubera*, quæ matri Eccleſiæ tribuuntur Cant. IV. 5. & VII. 3. explicantibus Auguſtino *Tract. III. in 1. Epiſt. Johann.* & Gregorio M. *Moral. l. XXIV. c.* 10. Et ſic quoq; in noſtra parabola per *nova* & *vetera* repræſentari Vetus & Novum Teſtamentum, præter Patrum teſtimonia ſuprà nobis laudata, oſtendit locus antiquiſſimi Patris Irenæi, qui reliquis antea allegatis jure ætatis anteponi debebat, & quidem luculentus ille lib. IV. adv. Hæreſ. c. 21. ubi ita loquitur: *Quemadmodum Dominus ait diſcipulis, propterea omnis Scriba doctus in regno cœlorum, ſimilis eſt homini Patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo nova & vetera. Non alterum quidem vetera, alterum quidem proferentem nova docuit, ſed unum & eundem. Paterfamilias enim Dominus eſt, qui univerſæ domui paternæ dominatur, ſervis quidem & adhuc indiſciplinatis condignam tradens legem: liberis autem & fide juſtificatis congruentia dans præcepta, filiis adaperiens ſuam hæreditatem. Ea autem, quæ Scribæ de theſauro proferunt nova & vetera, hac contradictione duo Teſtamenta dicit. Vetus quidem, quod ante fuerat legis datio, nova autem, quæ ſecundùm Evangelium eſt converſatio oſtendit, de qua David ait, cantate Domino canticum novum; Et Eſaias, cantate Domino hymnum novum &c. Et Hieremias ait, ecce diſponam Teſtamentum novum, non quemadmodum diſpoſui Patribus veſtris in monte Oreb. Utraq; autem Teſtamenta unus & idem Paterfamilias produxit verbum Dei Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui & Abrahæ & Moſi locutus eſt, nobis in novitate reſtituit libertatem, & multiplicavit eam quæ ab ipſo eſt gratiam.*

Locus Irenæi inſignis.

Conveniunt ea, quæ leguntur lib. IV. *Recognitionum* Clementi Romano adſcriptarum, ubi Petrus Apoſtolus ita loquens introducitur: *Hebræus, qui ex Deo habet, ut credat Moſi, habere debet ex propoſito ſuo, ut credat in Jeſum: ut unusquisq; eorum habens in ſe aliud divini muneris, aliud propriæ induſtriæ, ſit ex utroq; perfectus. De tali enim dicebat Dominus noſter viro divite, qui profert de theſauris nova & vetera.* Hunc etiam parabolæ noſtræ ſenſum præter autores allegatos agnoſcunt Jacobus Faber Stapulenſis, & Franc. Lucas Brugenſis Comm. in h. l.

Locus ex Recognit. Clementis.

In

XXXV.

IN altero extremo peccant, atq; in Charybdin incidunt cùm Sociniani & Arminiani, tum inter Pontificios Scholaſtici Doctores, aliiq; nonnulli, qui nimium inter duo illa Teſtamenta intervallum conſtituunt, & quidem tale, ut legalem doctrinam V. T. ab Evangelica N. T. differre doceant, tanquam inchoatam à perfecta, & præcepta N. T. perfectiora eſſe Veteris legis præceptis, quippe quæ novis & magis arduis additamentis à Chriſto & Apoſtolis ſint adaucta: item dum illi conjunctis operis ſtatuunt in V. T. promiſſiones ſolas rerum temporalium expreſſas eſſe, non verò bonorum ſpiritualium, & vitæ æternæ. Videantur magni Theologi noſtri p. m. D. Chemnitius Loc. Theol. P. III loc. *de Diſcr. V. & N. T.* D. Gerhardus *Loc. Comm. Tom. III. art. de Evang.* cap. XII. XIII. XIV. & D. Brochmannus *Syſtem. Theol.* P. II. *Artic. de Lege Cap. VII. quæſt. 7. & cap. XI. quæſt. 7. & Artic. de Evangelio cap. II. quæſt. 6.* item *Artic. de Vet. & Nov. Teſt. cap. II. quæſt.* 2. 3. 4. Conferatur etiam D. Dannhaweri *Hodomoria* Spiritus *Papæi* P. I. *Phantaſm.* VI. Sed immane quantum falluntur illi, tam quoad prius dogma, quàm quoad poſterius. Prioris quidem, etſi compluribus Patribus non diſplicuerit ante Auguſtinum, abſurditatem arguunt ipſa S. Scripturæ teſtimonia, quibus legis veteris perfectio adſtruitur & confirmatur, ut Pſal. XIX. 8. CXLVII. 19. 20. Rom. VII. 12. Jac. I. 25. Eandem etiam evincunt, quæ de Legis natura & uſu nos ipſi jamjam ſuccincta explicatione tradidimus §. XXXI. Adeoq; remittimus illud commentum ad nugatorem Muhammeden, cujus hoc dogma fuit, quod in Alkorano legitur Surat. XII. *Moſen tuliſſe legem minus perfectam, perfectiorem tuliſſe Chriſtum, perfectiſſimam verò Muhammeden.* Optimè Auguſtinus lib. XVII. contra Fauſtum Manich. c. ult. *Lex Dei tam perfecta commendatur, ut nihil ei addendum minuendúmve fuerit.* Poſterioris quoque opinionis falſitatem oſtendunt illa, quæ ſupra §. XXXII. produximus, quando diſerta Spiritus S. effata produximus, quibus probare liceat, bona non modò corporalia ac temporalia, ſed etiam ſpiritualia & æterna in V. T. promiſſa & exſpectata

Error in altero extremo.

Prior error refellitur.

Poſterior error arguitur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

Loc⁹ Deut. VI. 24. ctata fuiſſe. Quibus addatur locus Deut. VI. 24. לטוב לנו כל הימים, quem ipſe R. Bechai Judæus ita interpretatur comment. in Gen. p. 3. קיום המצוות הוא כולל שתי תועלות תועלת הגוף בעולם הזה ותועלת הנפש בעולם הבא זהו שהזכיר בכלל לטוב לנו כל הימים, *Subſtantia præceptorum duas complectitur utilitates, utilitatem corporis in hac vita, & utilitatem animæ in futura vita. Atq; hoc eſt, quod generaliter commemoratur eo loco: ut bene ſit nobis omnibus diebus.* Adjungantur inſuper loca alia V. T. Lev. XVIII. 5. Deut. XXX. 15. Job XIX. 24. 25. ſeq. Dan. XII. 2. 3. ſeq. &c. Conferantur R. Maimonides in *More Nevochim* P. II. c. 27. Coccejus in Cod. Talm. *Sanhedrin* c. XI. n. 12. Paul. Fagius in Paraph. Chald. Levit. XVIII. 5. de verbis חיי עלמא, & R. Menaſſe ben Iſraël de Reſurr. Mort. lib. I. c. X. XI. ſeq. Sanè etiamſi quædam fidei myſteria clariùs & luculentiùs in N. T. expreſſa ſint, quàm in

Perfectio Vet. Teſt. Veteri: tamen id reali hujus perfectioni nihil derogat, cùm illud ad perſpicuitatem potiùs, quàm ad perfectionem pertineat, & modum cognitionis magis, quàm res ipſas cognoſcendas reſpiciat. Unde rectè iterum Auguſtinus de Civit. Dei lib. XVI. c. 26. *Teſtamentum vetus eſt occultatio Novi, Novum eſt revelatio Veteris.* Et lib. de Catech. rudibus c. 4. *in Veteri Novum latet, in Novo Vetus patet.* Qui plura hac de re deſiderat, Theologorum ſcripta jamjam allegata conſulat. Nobis enim viæ tritæ inhærere haud volupe eſt.

XXXVI.

Confuſio heic cavenda. HAud minùs in conjunctione doctrinæ legalis & Evangelicæ cavenda eſt errorum genitrix confuſio, veluti antea paucis monuimus. Scriba edoctus ad regnum cœlorum utrumque è theſauro ſuo depromat, ſed cum debita rerum diverſiſſimarum diſtinctione, juſtoq; diſcrimine. Si novit benè diſcernere Legem ab Evangelio, gratias agat Deo, & ſciat ſe eſſe Theologum, veluti egregiè loquitur Lutherus Comm. in Epiſt. ad Gal. II. Caveat ſtudioſè, ne nova & vetera ita miſceat, *ut panniculum novi veſtimenti indat in veſtimentum vetus, aut vinum novum injiciat in utres veteres, ne ſcil. novum veſtimentum ſcindatur, & deformitatem pariat commiſſura veteris cum novo; néve utres rum-*

pan-

pantur & pereant, vinumq́; ipſum effundatur, quod ſolicitè monet Servator Matth. IX. 16. 17. Marc. II. 21. 22. Luc. V. 36. 37. 38. 39. Ipſemet ritè diſtingvat Legem ab Evangelio, & utriusq; differentiam aliis fideliter inculcet, quæ in his momentis præcipuè conſiſtit. *Legis & Evangelii differentia.* 1. Lex eſt quodammodo naturâ nota Rom. II. 15. Evangelium verò divina revelatione unicè patefactum Matth. XI. 25. Joh. I. 18. 1. Cor. II. 6 ſeq Eph. III. 19. *I.* 2. Illa ſaxo inſcripta eſt, & ſaxeis hominum refractariorum cordibus imprimenda 1. Tim. I. 9. hoc cordibus contritis, animis confractis mœſtisq; Eſa. LXI. 1. 2. 3. Luc IV. 18. oneratis & fatigatis Matth. XI. 28. *II.* Quod objectorum diſcrimen in utraq; illa doctrina proponenda Scriba regni cœlorum idoneus haudquaquam negliget. 3. Illa voluntatem Dei umbræ inſtar obſcuriùs repræſentat, unde nubes, divinæ præſentiæ in Vet. Teſt. ſignum, denſior apparebat: hoc clariùs illam refert, ſicut imago Patris ad vivum in Filio relucet, unde nubes præſentiæ divinæ in N. T. ſerenior Matth. XVII. 5. *III.* 4. Illa vi vivifica planè deſtituitur Gal. III. 21. Rom. VIII. 3 hoc gratiam & vires benè agendi confert Joh. I. 17. *IV.* 5. Illa ſangvine animalium & fœdere Vet. Teſt. obſignata erat: hoc juramento & ſangvine Chriſti confirmatum *V.* 6. Illa damnat, terret, vindictam clamat, mortem & maledictionem affert Gen. IV. 10. Deut. XXVII. 26. Rom. I. 18. hoc abſolvit, exhilarat, ſervat Luc. II. 10. & IV. 18. Rom. I. 16. & *κρείττονα λαλεῖ* Ebr. XII. 24. *VI.* 7. Illa quoad vim damniferam & coactivam *κατ-αργεῖται*; hoc verò ejusq; virtus *μένει* 2. Cor. III. 11. *VII.* Quâ differentiâ ſedulò obſervatâ tam vetera quàm nova depromenda ſunt Scribæ promo-condo. Nova illa prolaturus, quæ nobiliora ſunt & ſuaviora, vetera tamen nequaquam ſpernat aut rejiciat. Fugiat peſtilentiſſimum errorem Antinomorum, tam veterum, ut Marcionis, Valentini & Manichæorum, quàm recentiorum, qui ante ſeculum duce Johanne Agricola Iſlebio, legis moralis uſum & prædicationem in Eccleſia Chriſtiana furenter impugnârunt, jam olim refutati à B. Luthero ſex ſolennibus Diſputationibus, quæ inter Opera ejus Tom. I. Jen. Lat. hodieq; extant. *Antinomorum error cavendus.* Horum furorem dudum repreſſit Chri-

ſtus, quando ne jota quidem aut apicem unum è lege, vel periturum, vel ſuo adventu abolendum eſſe aſſeveravit Matth. V. 17. 18. 19. Os quoq; illis obſtruit Dei Spiritus, quando legis obſervantiam non Judæis tantùm, ſed & Chriſtianis in N. T. imperatam eſſe docet Rom. VII. 25. XIII. 9. 10. Jac. II. 8. 9. 10. & aliis in locis. Repugnant etiam illi legis moralis uſus, quos Scriptura N. T. commendat, noſq; ſuprà breviter ſignavimus §. XXXI. Sanè quod Apoſtolus docuit 1. Tim.

Locus 1. Tim. 1. 8. I. 8. Οἴδαμεν ὅτι καλὸς ὁ νόμος, ἐάν τις αὐτῷ νομίμως χρῆται, id Chriſtianis omnibus ut inculcandum, ita fideliter tenendum eſt. Poſterius hujus loci membrum Syrus vertit אן אנש אכותה דנמוסא נהדבר בה, *ſi quis juxta legem verſetur in ea*, Arabs, *ſi quis ea juridicè utatur*. Æthiops, *qui facit ſecundùm normam ejus*. Sed heic tam in veritate defendenda, quàm in adverſariorum argumentis ſolvendis, Theologi de Eccleſia optimè meriti Chemnitius, Gerhardus, Brochmannus, aliiq; nobis otium fecerunt: noſq; eapropter Iliada poſt Homerum haud ſcribemus.

XXXVII.

Doctrinæ eruuntur. TAndem pergimus ad doctrinas ex hac aurea Chriſti ſententia eruendas, quibus inſtruantur illi, qui ſanctum illud & arduum Scribarum Patrifamilias ſimilium munus inter Chriſtianos capeſſunt geruntq;.

Prima. Et primò quidem nomen γραμματέως eos officii ſui admonebit, quandoquidem illud Doctorem & ſacrarum literarum interpretem nativâ vocis indole deſignat. Nam ſemper ferè in N. T. Eccleſiaſtici, non civilis, muneris nomen eſſe, ſupra docuimus. Quocirca cogitent illi, ſibi docendi munus à Deo commiſſum & impoſitum eſſe,

Πολυπραγμοσύνη vitanda. ſeq; ideo διδασκάλους vocari. Ne ſint πολυπράγμονες, ne negotiis ſecularibus ſe implicent, qui Deo militare debent, quod hortatur Apoſtolus 2. Tim. II. 4. Vitent τὰς τοῦ βίου πραγματείας, quæ Dei cultum, Eccleſiæ ædificationem, & officii unicuique concrediti adminiſtrationem impediunt. Ne affixus ſit τοῖς βιωτικοῖς, quæ Paulus ita vocat 1. Cor. VI. 3. 4. quæq; Syrus benè reddit אילין דדעלמא אנון הנא *quæ ſunt ſeculi hujus*, Arabs אמור עאלמית *res ſeculares*. Avocet animum à μερίμ-

ναις

ναις βιωτικαῖς Luc. XXI. 34. i. e. *curis hujus vitæ mentem dividentibus.* Apoſtolorum olim vox fuit Act. VI. 2. *non æquum eſt, nos derelicto verbo Dei miniſtrare menſis.* Non minùs iniqvum, eſt, ſi quis deſertis officii ſacri, quod Deus impoſuit, partibus, aliena negotia ſectetur.

Sacerdotū Judaicorū exemplū.

Sanè quo tempore Ebræorum Sacerdotes, non jam altaris muniis addicti, & officiis dediti, ſed ſpreto Dei templo, neglectis ejus ſacrificiis, Græcorum glorias, certamina, ſpectacula ſectari cœperunt, quibus ſimiles eſſe ſtuduerunt, eoſdem quoq; habuerunt hoſtes, ultores, peremptores, quod conſecuta tempeſtas declaravit, veluti diſertis verbis docet Hiſtoria ſacra 2. Ma cab. IV. 10. 11. 12. 1 ;. 14. 15. 16. 17. ſeq. Idem verò, quod magis mireris, in medio martyriorum æſtu doluit B. Cypriano, qui Tractat. de Lapſis conqueritur:

Cypriani querela.

plures jam tum Epiſcopos, (quos & ornamento cæteris eſſe oportebat & exemplo) *divinâ procuratione contemptâ, procuratores rerum ſecularium fieri, cathedrâ relictâ, plebe deſertâ, negociationis quæſtuoſæ nundinas aucupari, eſurientibus in Eccleſia fratribus argentum largiter habere, fundos inſidioſis fraudibus rapere, uſuris multiplicantibus augere.* Ad quæ verba exclamat eruditiſſimus & cordatiſſimus Theologus Pariſienſis Cl. Eſpencæus Digreſſion. lib. II. in I. Epiſt. ad Timoth. c II.

Cl. Fſpencæi exclamatio.

Et annon, quæſo, nobis idem quod Judæis ante dictis contigit? ut dum Eccleſiaſtici palatia magis, quàm templa colunt ac frequentant, ſeculares, quorum inſtituta æmulantur, eosdem habeant ferantq; pœnarum, nedum pecuniarum, aſperrimos exactores. Nam Cyprianus noſtri non minùs temporis Epiſcopos prænunciare, quàm ſui præmonuiſſe videri poſſit. Et quid non tales pro talibus pati meremur? quid non etiam experimur? bellum, belliq; velut appendices indictiones, acceſſiones, angarias & perangarias: ut quovis laico plus jam vectigales vel potiùs dedititi ſimus: Et meritò quidem, plus quàm enim Laicè vivimus. Nec finis ante futurus, quàm qui ſe ἀντονομαστικῶς Eccleſiaſticos vocant, ſua ipſi tractent, aliena & profana in eorum, quos fortè contemptim Laicos & ſeculares vocant, humeros rejiciant. Digna eſt etiam D. Baldvini annotatio ad locum illum 2. Tim. II. 4. quæ haud prætermittatur:

D Baldvini annotatio.

Eccleſiæ miniſtri non curent Rempublicam, non litigent in foro, non inhient pecuniæ, non ſtudeant nimium augendæ rei fami-

familiari, quod faciunt uſurarii, aut qui ex ædibus parochialibus vini aut cereviſiæ tabernas faciunt. Hinc eſt diſcrimen inter ſeculares & ſpirituales: illi ſunt, qui rebus hujus vitæ dediti, hi, qui rebus ſacris ac divinis vacant. Et mox: *rectè objicitur hic Pauli locus iis, qui Eccleſiæ miniſtrum cogunt ad tutelas pupillorum, ad dijudicationem cauſarum civilium, ad conſilia merè politica, ad actiones forenſes & ſimilia, quæ ut ab officio ipſius prorſus aliena ſunt, ita nec ſine impedimento aut proſtitutione ejus tractantur, adeoq́ʒ jure omni declinari poſſunt.* Conſulantur ulteriùs ſupra laudati Eſpencæi Digreſſiones libri ſecundi, quarum quæ ſequuntur capita his titulis gaudent, c. II. de Clerico *Doctore*, c. III. *de Clerico percuſſore*, c. VI. *de Clerico bellatore*, c. VIII. *de Clerico litigioſo*, c IX. *de Clerico juriſconſulto*, c. X. *de Clerico Senatore*, c. XI. *de Clerico Cancellario*, c. XIV. *de Clerico vinolento*, c. XV. *de Clerico turpilucro, hæredipeta, fœneratore, alienorum conductore*, &c. item lib. III. Digreſſ. c. XXII *de Paſtoribus abſentibus & aliena curantibus.* Veriſſimè omnino dixit olim Gregorius M. Moral. l. XXX. c. 22. *Magna eſt ſervitus ſecularium negotiorum, quibus mens hominis vehementer atteritur.* Caveat proinde Myſta, ne per μερίμνας ejuſmodi fiat μερισθεὶς 1. Cor. VII. 33. 34. Imitetur Angelos, cum quibus commune nomen obtinet, qui pennatis pedibus pinguntur, ob impetum in ſublimia & divina tantùm tendentem, & διὰ τὸ πρὸς τὰ ἐπίγεια ἀκοινώνητον, *quòd nullum habeant cum terrenis rebus commercium*: docente S. Maximo in Digreſſ. de Cœl. Hierarch. cap. ult. Si ad humilia & profana rapitur, generosè dicat cum Romano Sapiente apud Senec. Epiſt. 49. *Non vaco ad iſtas ineptias, ingens negotium in manibus eſt.* Sanè ipſe Ariſtoteles Sacerdotium rectè definivit τὴν περὶ τὸ θεῖον ἐπιμέλειαν, *rei divinæ curationem* Polit. VII. Hinc Myſtæ *homines Dei* olim dicebantur, uti ſupra obſervavimus, quia ſoli Deo ejusq́; cultui vacare debebant, & quidem γυμνοὶ πάσης φροντίδος *nudi omni curâ rerum mundanarum*, ut loquitur Iſidorus l. I. Epiſt. 161. Nihil enim verius illo: *carnis negotia vitæ cauſas, actus mundi quis peragit, & non erit in querela?* quod effatum eſt Pet. Chryſologi Serm. LXXXIX.

Curæ ſeculares declinandæ.

De-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

XXXVIII.

Doctrina ſecunda, de faſtu vitando.

DEinde ſiquidem nomen γραμματεὺς omnis faſtus & ambitionis expers eſt, atq; Scribæ olim *nullius rei erant Domini, præterquam ſcribendi & recitandi*, teſte Suida in verbis ſupra allegatis §. VII. Cavenda magnopere eſt Scribæ noſtro arrogantia omnis & ſuperbia, ne fiat τετυφωμένος 1. Tim III. 6. & VI. 4 2. Tim. III. 4. *inflatus, in faſtum elatus, ne in judicium Diaboli incidat.* Syrus דלא נתרים *ne efferatur*, Arabs לילא יתצלף *ne arrogantiâ ducatur.* Ne cum Diotrephe ſit φιλοπρωτεύων i. e. *primatum ambiens* 3. Joh. Ep. 9. Syrus רחם דנהוא קדמיא *cupiens eſſe primas.* Ne cum faſtuoſis Judæorum Scribis ambiat πρωτοκαθεδρίας & πρωτοκλισίας Matth. XXIII. 6. Marc. XII. 39. Luc. XX. 46. Ne appetat nomina faſtu plena, aut titulos principatum ſpirantes, quales apud Pontificios amantur. Qui maximus vult eſſe, minimum ſe præbeat per Chriſtianam modeſtiam Matth. XVIII. 6. Ne affectet vocari Rabbi, ſplendidosq; ejuſmodi titulos haud expetat, quod in Scribis Judaicis damnat Chriſtus Matth. XXIII. 8. ubi non modò ταπεινοφροσύνην commendat Chriſtus, ſed & prohibet, ne Scriba Evangelicus ſibi autoritatem vindicet, quod ſibi viſum fuerit, docendi, ita ut ſibi credi ceu Magiſtro, ſeq; docentem quædam obſervatu neceſſaria alios ſectari, aq; ſua autoritate pendere velit. Id quod erat Judaicorum Doctorum axioma, quod illi ſibi arrogabant, eamq; ob cauſam alii alios Magiſtros ſectabantur. Verùm inter Chriſtianos eo modo *quosdam Pauli, quosdam Apollo, quosdam Cephæ dici*, nefas eſt 1. Cor. I. 12. Neq; enim debent Chriſtiani ſibi ἐπισωρεύειν διδασκάλους *coacervare Doctores* 2. Tim. IV. 3. præſertim tales, qui dogmatum autores eſſe volunt, non unius communis dogmatis nuncii. Unde quanti hoc munus ſit periculi, quamq; non modò non ambiendum, ſed neq; ſuſcipiendum, niſi benè exploratis viribus, Jacobus nos docet Epiſt. c. III. 1. Omni conatu ſtudioq; evitandum eſt venenum illud *ambitionis, quæ in ſinu Sacerdotum dormit, ibi ſub umbra recubat, in ſecreto thalami ſe fraudulenter occultat*, ſecundùm verba Cypriani Epiſc. Carthag. lib. *de Jejunio & Tent. Chriſti.* Unde deplorat Auguſtinus Epiſt. LXXXI. quosdam ad

Loc⁹ Matt. XXIII. 8. explicatur.

Ambitio Sacerdotibus fugienda.

Eccleſiæ miniſteria delectos, qui *jactantiæ faſtu corrupti atq; conſumpti, in favillam fumumq; vaneſcunt.* Et Chryſoſtomus de Sacerdotio lib. III. c. 9. queritur, in eo ordine etiam reperiri δεινότατον κενοδοξίας σκόπελον, *peſtilentiſſimum vanæ gloriæ ſcopulum.* A quo quamdiu libera fuit Eccleſia, hæc παρθένος, *Virgo*, nominabatur, tanquam nullâ Eccleſiaſticorum hominum ambitione corrupta, autore Hegeſippo apud Euſebium Hiſt. Eccleſ. lib. IV. cap. 21. Fugiendæ itaq; ſunt illæ ἐφήμεροι τιμαὶ, *honores fugitivi, unô tantùm die durantes*, ut Greg. Nyſſenus loquitur Or. V. de *Oratione*; illa δόξα εὐπερίτρεπτος, *gloria quæ facilè mutatur & evaneſcit*, ut ait Baſilius Epiſt. 42. illa γλυκὺς σκυλευτὴς *dulcis exſpoliatrix bonorum ſpiritualium, tinea virtutum* &c. dicente eodem in Conſt. Mon. c. 10. Nam ut præclarè dixit Pontificum doctiſſimus Leo Epiſt. LIII. *Magnus unicuiq; honor eſt, integritas ſua.*

Modeſtia quoq; in habitu relucebit.

Modeſtia illa Scribarum Evangelicorum relucere debet non modò in animo, in verbis, in geſtibus, in factis omnibus, ſed & in ipſo veſtitu. Caveant faſtum Scribarum Judaicorum, quem illi oſtendebant, *dilatantes phylacteria ſua*, & *producentes* τὰ κράσπεδα, i. e. *fimbrias veſtimentorum ſuorum*, πρὸς τὸ θεαθῆναι τοῖς ἀνθρώποις, *ut ſpectarentur ab hominibus* Matth. XXIII. 5. imò εἰς ἐπίδειξιν πόμπης, καὶ ἔπαινον θεωμένων, *ad pompam & oſtentationem, captandaq; adſpicientium encomia*, veluti Epiphanius verba Chriſti explicat Hæreſ. XV. locô ante allegatô §. XII. Obſervet Scriba noſter τὸ πρέπον in amictu & τὸ εὔσχημον, ut κόσμιος quidem ſit 1. Tim. III. 7. i.e. *compoſitus habitu & decorus*, non verò luxuriet. Arabs vertit מזינא באלורע *modeſtia ornatus.*

Cultus Scribæ qualis eſſe debeat?

Cultus illius ſit ἱεροπρεπὴς, *qualis ſanctitatem Sacerdotii decet*, ut docet Athanaſius lib. de Virginitate. Caveat, ne in ſe quadret querela Bernhardi Epiſt. 42. *Cernitur in nonnullis Sacerdotibus veſtium cultus plurimus, virtutum aut nullus aut exiguus.* Item illud Ambroſii de Dign. Sac. c. 4. *Non aliud Sacerdotes, quàm amictum quærimus clariorem, verbigratia* Caſtorinas *quærimus, & ſericas veſtes: & ille ſe inter Epiſcopos credit eſſe altiorem, qui veſtem induerit clariorem.* Eulalius Epiſcopus Cæſarienſis olim Euſtathium Eccleſiæ Sebaſtenæ præfectum ſacrâ dignitate privavit, quòd veſtem induiſſet ἀνάρμοστον τῇ ἱερωσύνῃ *non*

con-

congruentem officio Sacerdotali, teſte Socrate Hiſt Eccl. l. II. c. 33. Ex adverſo Epiſcoporum, qui concilio Nicæno interfuere, habitum deſcribens Euſebius lib. I. de Vit. Conſtant. c. 3. affirmat eos fuiſſe εὐτελεῖς τῇ τοῦ σχήματος ὀφθῆναι περιβολῇ i. e. *ipſius formæ veſtitu ad adſpectum humiles & abjectos* : & Greg. Nazianz. oratione XVIII. profitetur, ſe, poſtquam in ſacrum ordinem cooptatus eſſet, repudiaſſe ἐσθῆτα μαλακὴν καὶ περιῤῥέουσαν *veſtem molliorem, fluidam & diſſolutam*, quam ait τὸ τῆς ψυχῆς εὐγενὲς *animi nobilitatem* corrumpere. Sic & in vita B. Fulgentii commemorat Autor c. 29. quòd *ſummam diligentiam præbuerit, ne quis Clericus ambitioſis veſtibus ornaretur.* Imò Clemens Alexandr. Pædag. lib. III. c. 1 locum Paulinum 1. Cor. XIII. 4. ἡ ἀγάπη οὐ περπερεύεται interpretatur de ejuſmodi περπερείᾳ, quam vocat καλλωπισμὸν περιττότητος καὶ ἀχρειότητος ἔχοντα ἔμφασιν, i. e. *cultiorē venuſtioremq; ornatum, qui ſuperfluitatem, & ſpecioſæ pompæ inutilitatē apertè indicat*, quem ipſe Clemens ibid. φιλοκοσμίαν, & κάλλος φανταστικὸν, *nimium ornatus ſtudium & inane* nominat: & cum eo confert illud, quod ſequitur, οὐκ ἀσχημονεῖ *non agit indecorè* v. 5. Quomodo verò modeſtiam oſtendere debeat in appetendo Epiſcopatu, ſecundùm doctrinam Apoſtolicam 1. Tim. III. 1. id egregiè, ut alia pleraq;, docet laudatus Cl. Eſpencæus in eruditiſſimis ſuis Digreſſionibus in Epiſt. 1. ad Tim. nempe lib. III. c. 1. 2. 3 ſeq. ubi rem totam ex Græcorum & Latinorum Patrum ſententiis doctè & operosè explicat. Conferatur Lud. Creſollii Myſtagogus lib. III. c. 1. & 4.

Locus 1. Cor. XIII. 4.

Modeſtia in appetendo Epiſcopatu.

XXXIX.

TErtiò, quandoquidem γραμματεὺς dicitur ἀπὸ τῶν γραμμάτων ἱερῶν, ut ſupra indicavimus: meminerit Scriba noſter, ſacras literas eſſe proprium & adæquatum ſuæ profeſſionis objectum, ſeq; in iis expendendis & explicandis induſtriam ſuam aſſiduò occupare debere. Neq; putet, ita exhauſtam pridem eſſe aliorum ſtudiis & lucubrationibus Scripturam θεόπνευστον, ut nihil reliqvum ſit, in quo ipſe ſuas vires ſuamq; diligentiam exerceat. In primis quia סופר differt à דרשן, γραμματεὺς à συζητητῇ, veluti antea monuimus § X. in memoriam ſibi revocet, ſe eſſe γραμματέα, ſuiq; proinde officii eſſe, ſa-

Doctrina III. de S. Scripturæ explicatione.

Senſus literalis haud aſpernandus.

eras literas interpretari, non per modum Kabalæ, ſenſus allegoricos, myſticos & anagogicos ubivis conſectando, ſed per explicationem Grammaticam, ſimplicem & literalem, verum planumq; verbi divini ſenſum Auditoribus proponendo. Ne ſpernat ſenſum literalem, tanquam obvium & ante pedes poſitum, ſed eum principe induſtriâ tam in concionibus, quàm in commentationibus, omnibusq; lucubrationibus ſuis ſectetur. Explicet ubiq; verbum Dei ſenſu Grammatico, cujus primam & potiſſimam rationem ſemper habebit, deinde doctrinas inde eruat. Quò melior Grammaticus fuerit, eò meliorem Theologum ſe præbuerit. Fugiat ſequiorum Judæorum & novorum Kabaliſtarum inſaniam, qui myſticum & Kabaliſticum ſcripturæ ſenſum literali multis paraſangis anteferunt: dum hunc, quem פשוט vocant, nominare haud dubitant דבר קטן *rem parvam*· illum verò, quem מדרש appellant, דבר גדול

Judæorum ineptiæ.

rem magnam. Illum conferunt candelæ, quæ minimo quadrante emitur: hunc autem margaritæ in obſcuro latenti, quæ tandem per ejuſmodi candelam à quærentibus invenitur. Habent verò illi pro myſtico Scripturæ ſenſu, quicquid ipſorum cerebella ſuperſtitiosè, nugaciter & plerunq; ſine omni uſu ſuppeditant, imò quæ illis ferè ſomniantibus deliria offeruntur. Qua de re Pet. Cunæus monet de Repub. Ebr. lib. III. c. 8. *nimium ineptiant pleriq; illi ſuperciliosi magiſtri, qui errores erroribus tegunt, ne perpluant, & diſcipulos ſuos magnâ mercede hoc unum docent, nihil ſapere. Qui plurimos ſui ſimiles, h.e. putidos & nugatores effecerint, ii primas tenent, & nomine admodum inſolenti ſeſe appellitant* מרביצי תורה, *quaſi tu barbarè dixeris, qui efficiunt, uti lex recubet ſive quieſcat inter eos.*

Et Weigelii.

Idem fere eſt delirium Weigelii, ejusq; aſſeclarum, qui ſenſum literalem damnant, velut *à veteri homine profectum, plus damni quàm commodi afferentem, & Chriſtianis indignum*, nosq; per contemptum vocant Buchſtabler / Diener deß Buchſtabens &c. Weigel. Poſtil. P. II p. 34. 199. 225. P. III p. 85. Dialog. p. 81. Nos verò vel unico loco Apoſtolico eorum inſaniam retundimus, nempe effato Petrino 2. Epiſt. I. 20. ubi negat diſertis verbis, ſcripturam eſſe ἰδίας ἐπιλύσεως i.e. *propriæ reſolutionis*, ſive *explicationis*, cum hæc pro

Locus 2. Pet. I. 20.

lubi-

lubitu uniuscujusq; , ex privato cerebri humani judicio fingi & depromi haudquaquam debeat, ſed inſtituenda ſit ad ipſum illum λυχνον προφητικȣ λογȣ, quem Petrus comm. præced. 19. commendaverat, & *juxta analogiam fidei* Rom. XII. 6. Egregiè Æthiops verba Petrina interpretatus eſt : *nulla prophetia è voluntate hominum, & libidine hominis exponentis eſt.* Quàm turpiter ſe hac in re dederit inter Judæos Alexandrinos inſignis τῶν ἀλληγορομανȣ́ντων Coryphæus Philo (uti eum Baſilius appellat) quamq; infeliciter Chriſtiani Alexandriæ literas ſacras publicè profeſſi ab iſtis Judæis vanum illum allegorizandi morem didicerint, in primis Origenes, id non modò eorum ſcripta, quæ adhuc Doctorum manibus teruntur, produnt, ſed & graviſſimæ Patrum, ut Epiphanii, Hieronymi, aliorumq; cordatorum & optimorum Eccleſiæ Doctorum querelæ oſtendunt. Adeoq; eò fortiùs inſaniunt, qui hos prodigioſi erroris duces ſeqvuntur, ſive Pontificii ſint, quos eapropter caſtigat Spanhemius Dub. Evang. P. II. Dub. LXVI. n. 7. *in praxi hic multis modis peccatur à Theologis Romanenſibus, quo nomine meritò à Doctoribus Orthodoxis perſtringuntur, quia totam Scripturam licentioſis interpretamentis in allegorias meras transformant, centones & ſcurriles & profanos ex ea ſæpè texunt, & ſuas cathedras, ſua ſcripta exegetica, homiletica, parænetica, & alia quævis Seraphicis id genus ſpeculationibus farciunt, qvæ Majeſtatem Dei temerant, ſcripturæ dignitatem proſtituunt, & religionem Chriſtianam infamant. Nec inde à ſanctione Concilii Tridentini talia prohibentis Seſſ. IV. S. Scripturæ parſum, vel allegoriarum luxurie reciſa, Dei verbum religioſa ſimplicitate tractatum, ſed magis luxuriatum, omnia in allegorias converſa, in hoc muſtaceo laureola quæſita, & ſimplex Scripturæ expoſitio, ut abjecta nimis & plebeja, exploſa. Quod non exagitandis perſonis, ſed vitio ſolenni deplorando, ſimplicitati* S. *Scripturæ aſſerendæ, & veritati vindicandæ dictum &c.* Sive alii ſint eodem œſtro perciti, qui literali ſenſu, ceu craſſo, prorſus deſerto, aliam nimis ſublimem, & ſubtilitate ſuâ deliram, explicandi rationem affectant, quæ nihil certi probet, ſed potiùs fluctuantem lectoris vel auditoris animum in periculoſiores dubitationum Syrtes devehat. In hos acriter invehitur ipſe B. Lutherus Com.

Philonis & Origenis deliquia in allegoriis.

Pontificii à Spanhemio reprehenſi eam ob rem.

Aliorum par temeritas.

Judicium Lutheri de allegoriis.

in Geneſ. XXX. *In Turcia etiam multi religioſi ſunt, qui id unum ſtudent, ut Alcoranum Mahometi interpretentur allegoricè, quò in majore æſtimatione ſint. Eſt enim allegoria tanquam formoſa meretrix, quæ ita blanditur hominibus, ut non poſſit non amari, præſertim ab hominibus ocioſis, qui ſunt ſine tentatione. Tales putant ſe in medio paradiſi & gremio Dei eſſe, ſi quando illis ſpeculationibus indulgent. Ac primò quidem à ſtolidis & otioſis Monachis ortæ ſunt, & tandem ita latè ſerpſerunt, ut quidam Metamorphoſin Ovidii in allegorias verterint. Ego itaq; odi allegorias. Si quis tamen volet iis uti, videat ut cum judicio eas tractet.* Quod his ultimis verbis monet Megalander, id de allegoriis intelligendum non innatis, & in ipſa ſcriptura expreſſis, ſed illatis, quas interpretes, quiſq; pro ſuo ingenio, inferunt. Hinc alibi Lutherus ad Eſaiæ c. XIII, monet: *ego ſimplices hiſtorias maximi facio. Allegorias non valdè probo. Allegoriæ ſunt planè hoc in docendo, quod eſt color in ædificio. Color nec ædificat, nec ſuſtentat domum, ſed ornat tantùm. Sic etiam eſt allegoria. Hiſtoriæ autem, quia ſemper ſervatas aut minas Dei, aut promiſſiones teſtantur, tum fidem, tum timorem Dei alunt in cordibus.* Ad hæc Lutheri verba alludit D. Franzius de Interpret. S Script. Orac. CXXIII. *Allegoriæ ſunt ſimiles picturis, explicationes verò literales ſimiles muris lapideis. Domus ſuam magnam habet firmitatem ex muris lapideis: picturæ domui nec minimam dabunt firmitudinem. Omnibus igitur modis providendum eſt, ut Eccleſia literalibus expoſitionibus inſtruatur, fundetur, ædificetur. Allegoriæ* (quas ibidem vocat Schawessen / *unde ſubſtantia hominis ali nequit*) *quàm immenſum olim ſub Papatu creverint, ita ut ſub illarum immodicis coacervationibus textuales & literales expoſitiones perierint, & falſa dogmata ſubintrarint, notius eſt, quàm ut prolixiùs commemorari debeat. Omnes igitur gloriæ Dei & veritatis ſtudio ſeriò ardentes, literam textuum unicè maximeq; ſpectare, expendere, proponere, explicare & inculcare ſatagent. Tales textuales Theologos eſſe optimos Theologos, cum ſapiente vetuſtate dicere ſolitus fuit D. Lutherus.* Nec à veritate abluſit Cunæus lib. allegat. c. 5. *Myſteria ex rebus quibusq; obviis & apertis effodere, eorum eſt, qui via hominum pervulgata ſapere faſtidiunt. Quæ res ſæpe excidit in febriculoſam putiditatem. Nos non inventionum acumina, ſed rerum pondera amamus.* Quocirca ſtudio-

D. Franzii ſententia de iiſdem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

dioſos Theologiæ, olim Scribas regni cœlorum futuros, magnopere hortamur, ut hanc concionum peſtem cane pejus & angve devitent, & Scripturæ ſenſum ſimplicem ac literalem principe curâ auditoribus ſuis explanare ſtudeant, idq; in Eccleſiæ οἰκοδομὴν, cui unicè litare debent 1. Cor. XIV. 12. 26. Hinc & eum allegorizandi pruritum, ac Kabaliſticas ψευδερμηνείας Scripturæ in Judaicis Magiſtellis olim damnavit Apoſtolus, quando Ἰουδαϊκοὺς μύθους vitari jubet 1. Tim. I. 4. & Tit. I. 14. ubi Arabs μύθους per אלחראפאת *deliria*; Syrus, Æthiops & Vulgatus per *fabulas* reddunt. Imò eas etiam jure improbat ipſe Judæus, ſed reliquis ſapientior, Aben Ezra in ſua *præfat. Rhythmica ſuper Pentateuchum.* Conſulanrur porrò Wilh. Schickardus in *Bechin. Happer.* p. 145. ſequ. Glaſſius in *Phil. Sacr.* lib. II. Part. I. Tract. II. ſect. 2. & 3. Chamier *Panſtrat. Cathol.* T. I. lib. XV. c. I. Rivetus in Iſagoge ad Sacr. Script. cap. XIV. XV. & Hottingerus *Theſ. Phil.* lib. I. c. II. Sect. VII. ut alios jam taceam.

Damnatur allegorizandi pruritus.

XL.

QUartò meminiſſe debet Scriba noſter, ſe veluti μαθητευθέντα εἰς βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, demum id muneris & dignitatis adeptum eſſe, ut jam ſit Scriba & Doctor regni cœlorum, & miniſter ſummi illius Regis Regum, cui olim rationem adminiſtrationis ſuæ ſit redditurus. Semper ipſius animo obverſetur tum regni cœleſtis ſanctitas, quæ nihil impuri aut ſordidi, nullam maculam aut rugam admittit Eph. V. 27. tum Regis maximi præſentia perpetua, utpote qui ſuis in regno ſuo adeſſe vult omnibus diebus, usq; ad conſummationem ſeculi Matth. XXVIII. 20. Cogitet ſe verſari in domo illius magni Regis, & quidem in oculis ipſius omnia penitiſſ. aſpectu pervidentis, quippe coram quo nulla res creata eſt ἀφανὴς, πάντα τε γυμνὰ καὶ τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ Ebr. IV. 13. Proinde ſolicitam curam adhibeat, πῶς δεῖ ἐν οἴκῳ Θεοῦ ἀναστρέφεσθαι, ἥτις ἐστὶν ἐκκλησία Θεοῦ ζῶντος 1. Tim. III. 15. Meminerit ſui officii eſſe, docere ad regnum cœlorum, ſeq; eapropter debere omnes curas ac cogitatationes à mundo ac mundanis avocare, & illuc in ſolidum convertere: ſit τὰ ἄνω ζηλῶν, οὐ

Doctrina IV. de regno cœlorum.

Χριστός ἐστιν ἐν δεξιᾷ τοῦ Θεοῦ καθήμενος, τὰ ἄνω φρονῶν, μὴ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς Col. III. 1. Quò referimus, quod mox ſimilis dicatur ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ, & quidem ἄνθρωπος ſit, tanquam ἄνω τρέπων ὦπα, atq; *erectos tollens ad ſidera vultus*, ſive τὰ ἄνω θεωρῶν, quia ſuperiora & cœleſtia contemplari debet. Nunquam obliviſcatur πολιτεύματος ſui, τοῦ ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχοντος, ἐξ οὗ καὶ σωτῆρα ἀπεκδεχόμεθα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν Phil. III. 20. quandoquidem cum Chriſto collocatus eſt ἐν τοῖς ἐπουρανίοις Eph. II. 6 ibiq; πόλιν μέλλουσαν καὶ μένουσαν ἐπιζητεῖ Ebr. XIII. 14. ubi theſaurum habet, eò & cor animumq; attollat Matth. VI. 21. At θησαυρὸν ἀνέκλειπτον ἐν τοῖς οὐρανοῖς habet, ergo & cor ibi erit Luc. XII. 33. 34.

De voce ἀνθρώπῳ.

XLI.

Doctrina V. ex voce Patrisfamilias.

QUintò, quandoquidem comparatur ejuſmodi Scriba cuidam Patriſfamilias, oportet illum omni conatu & ſtudio in id eniti, ut boni & providi Patrisfamilias nomine non indignus habeatur, nec audire velit œconomus vel diſpenſator malæ fidei, qui alienam domum ita adminiſtrat, ut ſuo lucro intentus, Domini ſui emolumentum, & familiæ commodum negligat aut pervertat, qualis erat ille, quem in alia parabola deſcribit Chriſtus Luc. XVI. 1. ſequ. Neq; ſimilis ſit illi œconomo, qui Dominum diu abſuturum ſperans familiam malè tractat, ſuæ tantùm gulæ indulgens, quem eapropter Dominus ex improviſo ſuperveniens διχοτομήσει (Arabs פישקה מן ושטה *ſecabit eum medium*, Æthiops *abſcindet eum*, Syrus & Perſa *eum à ſe ſeparabit*, Eraſmus *diſſecabit eum*) partemq; ei cum infidelibus ſtatuet Luc. XII. 45. 46. Cogitet familiam Dei eſſe, cui ipſum ſummus οἰκοδεσπότης Chriſtus præfecit, nec obliviſcatur, ſe Dei oeconomum eſſe Tit. I. 7. imò οἰκονόμον μυστηρίων Θεοῦ, *in quo præcipuè requiratur, ut fidus inveniatur* 1. Cor. IV. 1. 2. Quocirca in hoc omnes curas ac cogitationes convertat, ut ad exemplum Moſis *fidus comperiatur in tota domo Dei* Ebr. III. 2. 5. Familiam ſibi concreditam bene paſcat regatq;, ne ſit ἀλλοτριοεπίσκοπος 1. Pet. IV. 15. i. e. *curas alienas agens*, interprete Cypriano, ſive qui falcem immittit in alienam ſegetem; neq; ſe iis rebus ingerat & immiſceat, quæ ad ipſius officium

Locus Luc. XII. 45. 46.

Fidelem ſe præſtet.

Ne ſit ἀλλοτριοεπίσκοπος.

nihil

nihil attinent, ſuas interim res negligenter agens. Unusquisq; munus ſibi commiſſum curet, ſive in Academia, ſive in Eccleſia, & ſicut diverſa ſunt diverſorum dona, ἕκαστος ἴδιον χάρισμα ἔχει ἐκ Θεοῦ, ὃς μὲν οὕτως, ὃς δὲ οὕτως 1. Cor. VII. 7. διαιρέσεις χαρισμάτων εἰσὶ, καὶ διαιρέσεις διακονιῶν εἰσὶ 1. Cor. XII. 4. 5. ita etiam ἕκαστος ἐν τῇ κλήσει, ᾗ ἐκλήθη, ἐν ταύτῃ μενέτω 1. Cor. VII 20. nec vagetur extra oleas, aut ſuæ vocationis limites tranſſiliat. Nunquam non ſibi in memoriam revocet, ſe in domo Dei viventis verſari 1. Tim. III. 15. in conſpectu omnia videntis Domini, & *μόνου δεσπότου unius heri* Jud. Epiſt. v.4. Imitetur Joſephum Oeconomorum optimum & prudentiſſimum, quem Pharao laudat, tanquam maximè נבון וחכם *intelligentem & ſapientem, ſuæq; domui univerſæ præficit, & toti terræ Ægypti, ut os univerſi populi oſculetur eum, tantummodò ut ipſe ſolio Regali major ſit illo: quo munere ſuſcepto Joſephus univerſam terram Ægypti obivit, commeatum ſecuturis annis ſuffecturum in cibaria civitatum ſingularum congeſſit, eumq; poſtea Ægyptiis diſtribuit* Gen. XLI. 39. 40. 41. 45. 46. ſeq. Studeat eſſe καλὸς οἰκονόμος ποικίλης χάριτος Θεοῦ 1. Pet. IV. 10. ut audiat ὁ πιστὸς οἰκονόμος καὶ φρόνιμος, ὃν καταστήσει ὁ κύριος ἐπὶ τῆς θεραπείας αὐτοῦ, τοῦ διδόναι ἐν καιρῷ τὸ σιτομέτριον (i. e. *demenſum*, Syrus פרסא *portionem cibi*, Arabs & Æthiops *cibum*, Perſa *omnem rem*) μακάριος ὃν ἐλθὼν ὁ κύριος αὐτοῦ εὑρήσει ποιοῦντα οὕτως, καὶ ἐπὶ πᾶσι τοῖς ὑπάρχουσιν αὐτοῦ καταστήσει αὐτὸν Luc. XII. 42. 43. 44. Fidam ſupremo Οἰκοδεσπότῃ operam præſtet, in ædibus oportunè claudendis adverſus fures & latrones Matth. XXIV. 43. adverſus λύκους βαρεῖς μὴ φειδομένους τοῦ ποιμνίου Act. XX. 29. Præſtet ſe bonum ovium Paſtorem, non mercenarium, aut ejuſmodi curatorem, qui alienas oves ſui tantùm lucri cauſâ paſcit, & lupo adventanti, fugiens, gregem derelictum objicit, idq; quia mercenarius eſt, nec oves pro ſuis habet, nec juſtam earum curam gerit Joh. X. 12. 13. Non inhiet proprio lucro, Domini & familiæ ejus emolumento inſuper habito. Ne ſit αἰσχροκερδὴς i. e. *turpis lucri ſtudioſus* 1. Tim. III. 3. 8. Syrus לא ירחמון יותרנא טנפא *ne diligant lucra ſordida.* Sit ἀφιλάργυρος ibid. & oſtendat ἀφιλάργυρον τὸν τρόπον *mores ab avaritia alienos* Ebr. XIII. 5. idq; exemplo Pauli,

Joſephi prudentiā imitetur.

Locus Luc XII. 42. 43.

Sit bonus Paſtor ovium.

Avaritiā fugiat.

 qui

qui *nullius argentum, aurum aut veſtem ſe concupiviſſe*, publica oratione proteſtatur Act. XX. 33. 34. Caveat, ne deprehendatur in numero τῶν πολλῶν, καπηλευόντων τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ 2. Cor. II. 17.

Locus 2. Cor. II. 17. explicatur.

i. e. *qui cauponantur verbum Dei*, ſive cauponariam exercent de ſermone Dei, illud callidè & avarè, non ſincerè tractant, (quos Apoſtolus mox c. IV. v. 2. vocat δολοῦντας τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ) eoq; ad quæſtum ſuum abutuntur. Eſt enim heic metaphora deſumpta à cauponibus, qui infames & ſordidi habentur, propterea quòd merces adulterent, ſicq; quibusvis artibus lucrum captent, præſertim vinum aquâ corrumpendo, cùm καπηλὸς

Καπηλεύειν quid?

dicatur caupo, quaſi κακύνων πηλὸν *vitians vinum*, quorſum reſpicitur Eſa. I. 22. Syrus reddit ממזגין מלוהי דאלהא *qui miſcent ſermones Dei*, Arabs נעש קלאם אללה *fraudulenter tractantes ſermonem Dei*, Æthiops & Vulgatus *adulterantes*, Tigurini, Caſtalio, Beza, Piſcator, *cauponantes*, Tremell. *qui mixturâ adulterant*, Hiſpan. *taverneros, mercaderes falſos de la palabra de Dios*, Luth. verfalſchen / Diod. Ital. *falſificbiamo*, Gall. Gen. *maquignons de la parole*, Angl. *corrupt the word of God*, Vernac. noviſſ. forfalſke / udprange med Bedrægeri / Suecica forfalſcha Guds Ord / Verſ. Germ. Socinian. Kramerey treiben mit der Rede Gottes. Hi nimirum ſunt, νομίζοντες πορισμὸν εἶναι τὴν εὐσέβειαν, *pietatem quæſtui habentes &c.* ut idem Apoſtolus alibi loquitur 1. Tim. VI. 5. qvos B. Ignatius appellat Χριστεμπόρους, καὶ

B. Ignatii loca duo.

τὸν Ἰησοῦν πωλοῦντας, *mercatores Chriſti, & Jeſum vendentes* Epiſt. ad Magneſianos: item οὐ χριστιανοὺς, ἀλλὰ Χριστεμπόρους, ἀπάτῃ περιφέροντας τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ, καὶ καπηλεύοντας τὸν λόγον τοῦ Εὐαγγελίου, *non Chriſtianos, ſed Chriſto-mercatores, per impoſturam præferentes nomen Chriſti, & quæſtui habentes ſermonem Evangelii* Epiſt. ad Trallianos. Videatur Henricus Hammondus ad h. l.

Qua in re Paterfamilias imitandus.

Imitetur Scriba noſter bonum Patremfamilias, qui totus in eo eſt, ut familiæ ſuæ quàm optimè conſulat, ejusq; commodum promoveat. Non modò avaritiam fugiat, ſed iracundiam; non enim debet eſſe ὀργίλος Tit. I. 6. ſed ex adverſo ἄμαχος, φιλάγαθος, ἐπιεικὴς 1. Tim. III. 3. Tit. I. 8. Ne iram vel odium temerè adverſus familiares ſuos, i. e. auditores, concipiat, multò minùs ejuſmodi vitioſum ac deteſtabilem affectum, aut bilem

ſu-

ſuam publicè in eos effundat ac evomat. Eos paterno affectu tractet haud ſecus ac filios, pro illorum ſalute excubet, facilè illis offenſas privatas, ſi quæ ſint, condonet, paternâ curâ ac ſolicitudine illis proſpiciat, & in omnibus ita ſe gerat erga illos, ceu Pater erga filios, exemplo Pauli Gal. IV. 19. 20. νουθετῶν, ὡς τέκνα ἀγαπητά, & magis ut pater, quàm ut præceptor 1. Cor. IV. 14. 15. *non quærens ea quæ ipſorum ſunt, ſed ipſos, quandoquidem non debent filii parentibus theſauros congerere, ſed parentes filiis. Velit libentiſſimè ſumptum impendere, & expendi ipſe pro animabus eorum, etiamſi plurimùm eos diligens, minùs diligatur ſive redametur*, quæ ſunt verba Apoſtoli, amoris paterni, & quidem tenerrimi, pleniſſima 2 Cor. XII. 14. 15.

Paterno affectu ſuos tractet.

XLII.

VErùm & hoc ſextò obſervet Scriba, quòd non ipſe dicatur οἰκοδεσπότης, ſed tantùm ὅμοιος ἀνθρώπῳ οἰκοδεσπότῃ. Sciat ſe nec eſſe Dominum domus, cui Deus eum præfecit, nec dominium δεσποτικὸν obtinere in familiam, cujus cura ab ipſo Domino ei demandata eſt. Chriſtus eſt ipſe οἰκοδεσπότης, cujus miniſter eſt Scriba, Oeconomus tantùm, vel diſpenſator in domo ipſius, qui etiam ipſi rationem oeconomiæ ſuæ omninò redditurus eſt. Quocirca nolit dominium ſive tyrannidem in familiam Dei ſibi arrogare. Non ſit κατακυριεύων τῶν κλήρων, ſed τύπον *exemplar ſe præbeat gregi* 1. Pet. V. 3. Syrus לא איך מריא דמרעיתא *non ſint tanquam Domini gregis*, Arabs לא כמן ישודון דוי מראתב אלכהנות *non ut qui dominantur conſtitutis in dignitatibus ſacerdotii*. Ne dominari velit Regio more pro arbitrio & lubitu. Neque æmuletur ἄρχοντας τῶν ἐθνῶν κατακυριεύοντας αὐτῶν, καὶ τοὺς μεγάλους κατεξουσιάζοντας αὐτῶν, qui & εὐεργέται ſalutari volunt. Nam id in Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus prorſus damnavit ſummus Οἰκοδεσπότης Chriſtus, quippe quod in ſua familia tolerare noluit, ex adverſo præcipiens, ut qui μέγας vel πρῶτος, vel ὁ ἡγούμενος in ea eſſe velit, ſit ὡς ὁ διακονῶν, & inſtar miniſtri, ac reliquorum ſervi Matth. XX. 25. 26. 27. Marc. X. 42. 43 Luc. XXII. 25. 26. In quibus locis Evangelicis, ut & Petrino, verbum κατακυριεύειν, pro quo Lucas habet ſimplex κυριεύειν, non tantùm deſignat tyrannidem & po-

Doctrina VI. Non eſt ipſe οἰκοδεσπότης.

Ne dominium ſibi arroget.

Locus 1. Pet. V. 3.

Loca Matth. XX Marc. X. Luc. XXII conferuntur cum Petrino.

teſtatis abuſum, uti Romanæ curiæ aſſentatores fingunt; ſed & ipſum dominium ac poteſtatem civilem ſimpliciter conſideratam, quæ Apoſtolicis Scribis & Eccleſiæ Chriſtianæ Doctoribus haudquaquam competit.

Καταχυριεύειν quid?

Eâ enim ſignificatione compoſitum verbum καταχυριεύειν adhibetur de ſimplice dominatione extra abuſum ſpectata, ut Gen. I. 28. de Protoplaſtorum dominio, Pſal. LXXII. de Salomone & ejus antitypo Chriſto, Pſal. CX. 3. de regno Chriſti. Imò etiam ſimplex τὸ κυριεύειν ſibi aliisq; Apoſtolis & Doctoribus derogat Paulus 2. Cor. I. 24.

Civilis poteſtas cum Eccleſiaſtica componi nequit.

Adeoq; ſimul conſiſtere, aut in uno ſubjecto componi nec poſſe ordinariè, nec debere, officium merè Eccleſiaſticum, & civilem poteſtatem, qualis Principibus & Magnatibus convenit, teſtimonia illa divina, quæ modò produximus, manifeſtè arguunt, & Theologi noſtræ Eccleſiæ optimi dudum evidenter probatum dederunt. Quid igitur fiet de Patrimonio Petri? quid de duplice illo gladio Papali? quid de Pontificis poteſtate in regna mundi, ſive directâ ſive indirectâ? Quid de ambitione ac φιλαρχίᾳ Cardinalium & Epiſcoporum Romanenſium? *in quorum omnium aulis omnibus præceptum hoc Principis Apoſtolorum vel aureis literis inſcribi oportebat*, ex voto Eraſmi ad h. l.

Scriba ſimilis erit Chriſto.

E contrario Scriba noſter debet eſſe ſimilis οἰκοδεσπότῃ maximo Chriſto, qui iisdem locis jam allegatis, quibus civilis dominii affectationem ſuis eximere vult, ſimul ſuum exemplum illis imitandum proponit Matt. XX. 28. Marc. X. 45. Luc. XXII. 27. ut *ſicut ipſe noluit ſibi miniſtrari, ſed*

Exemplũ Chriſti.

inſtar miniſtrantis ſe geſſit, ita & illi idem faciant. Quanquam ipſe eſſet longè major illis tum divinitate, tum communicata majeſtate, donis, & officio, tamen is oblatam ſibi mundi gloriam regnumq; recuſavit Matth. IV. 8. 10. & Joh. VI. 15. officium judicandi in rebus civilibus detrectavit Luc. XII. 14. Joh. VIII. 11. Quod etiam Chriſti ſectatoribus, qui illi οἰκοδεσπότῃ ſimiles audire volunt, faciendum eſt. Et ſi ita imitatores Chriſti fiunt, ſimul ſecundùm præceptum Petri, quod jamjam ſignavimus, evadent τύποι τοῦ ποιμνίου, dum ipſi faciunt, quod aliis præcipiunt, ſecus ac olim Scribæ noſtri Judaici ſe geſsêre, qui dixerunt complura, quæ non fecerunt, teſte Chriſto Matth. XXIII. 3. 4.

Septimò

XLIII.

Doctrina VII. ex verbo ἐκβάλλει.

SEptimò verbum ἐκβάλλει, quod heic abſolutè ponitur, Scribæ noſtro aurem vellicabit, ut officii ſui memor, ſemper in opere ſacro ſit occupatus. Non dicitur, quod poſſit ἐκβάλλειν, ſive potentiâ depromendi polleat, ſed quod actu ipſo proferat & depromat. Nam ex officio illi incumbit, ut hoc agat. Neceſſitas eum urget, ἀνάγκη αὐτῷ ἐπίκειται· οὐαὶ δὲ αὐτῷ ἐστιν, ἐὰν μὴ εὐαγγελίζηται 1. Cor. IX, 16. *Et ſi lubente animo hoc facit*, nempe evangelizando, *mercedem habet*: *ſin invitus*, οἰκονομίαν πεπίστευται, i. e. *œconomicum officium ei impoſitum eſt*, cujus ratio ipſi reddenda ibid. comm. 17. Caveat, ne habeatur ὀκνηρὸς καὶ ἀχρεῖος δοῦλος *ignavus & inutilis ſervus*, ob talentum defoſſum, & in terra occultatum: ſtudeatq; è contrario, ut laudem conſequatur ἀγαθοῦ καὶ πιστοῦ δούλου, ſi illud benè collocaverit, & lucrum inde Domino attulerit Matth. XXV. 14. 15. 16. 18. 21. 26. 30. Nolit εἰς κενὸν *gratiam Dei accipere* 2. Cor. VI. 1. Imitetur ordinis ſui anteſignanum Ezram, qui legem Domini populo prælegit מן האור עד מחצית היום *inde à diluculo usq; ad dimidium diei* Nehem. VIII. 3. Ne capiatur tædio laborum ſibi incumbentium, néve laſſitudinis prætextu otium quærat.

Aſſiduus & diligens ſit in opere ſacro.

Sit ποιμαίνων τὸ ποίμνιον τοῦ Θεοῦ ſibi concreditum, ἐπισκοπῶν μὴ ἀναγκαστῶς, ἀλλ᾽ ἑκουσίως, μηδὲ αἰσχροκερδῶς, ἀλλὰ προθύμως, *non coactè ſed libenter, non turpiter affectans lucrum, ſed prompto animo*, quæ Apoſtolo digna eſt admonitio 1. Pet. V. 2. Non rejiciat labores ſuos ordinarios in alios, quorum vicariâ operâ utatur, ipſe tantùm id agens, quod lucro ſibi futurum putet, & unde emolumentum captet. *Quicquid invenerit manus ejus ad faciendū*, id faciat בכוחו *in virtute ſua*, LXX. ὡς ἡ δύναμις, i. e. *ſecundùm omnes vires ſuas*, pro virili parte, & nervorum omnium ingenii ac corporis contentione Eccleſ. IX. 10. Εἴ τις διακονεῖ, ὡς ἐξ ἰσχύος ἧς χορηγεῖ ὁ Θεὸς 1. Pet. IV. 11. *Clamet in gutture, nec ſiſtat, tanquam buccinam exaltet vocem ſuam* Eſa. LVIII. 1. Nam *requiretur lex ex ore Sacerdotis* Mal. II. 7. *interrogantibus de lege reſpondebit* Hagg. II. 12. 13. 14. *Prædicabit ſermonem, inſtabit* εὐκαίρως, ἀκαίρως, *arguet, objurgabit, exhortabitur*, ἐν πάσῃ μακροθυμίᾳ καὶ διδαχῇ 2. Tim. IV. 2. Per tintinnabula, quæ Sacerdoti ſan-

Promptus non remiſſus.

Documen- ſancta ingredienti ex præcepto Dei addebantur, indicabatur,
ta hujus rei quod deberet *prædicationis voces habere, ne ſuperni Speculatoris ju-*
ex V.Teſt. *dicium ex ſilentio offenderet*, interprete Gregorio Magno lib. I.
Epiſt. 24. Sacerdotum Vet. Teſt. erat, legem populo præle-
gere & explicare Deut. XVII. & XXXI. & Levitæ obibant
urbes, atq; è libro legis populum erudiebant 2. Chron. XVII.
7. 8. 9. Scribæ docebant tempore Chriſti in cathedra Moſis
Matth. XXIII. 2. Pudeat Doctores Eccleſiæ Chriſtianæ, qui
Romanen- illis Judaicis hac in parte ſunt deteriores. Quod in primis de
ſes Epiſco- Epiſcopis Pontificiis dici poterit, qui vix ad ſuum officiũ perti-
pi notan- nere putant Eccleſiam docere, cum aliis negotiis, ut plurimum
tur. ſecularibus, intenti, hoc aut rarò aut nunquam agant, tam-
etſi Concilium Tridentinum diverſum præceperit Seſſione IV.
A. 1546. decr. 2. Longè alia mens fuit Ambroſio, Epiſcopo
etiam, ſed illis religioſiori, cujus verba ſunt lib. I. Offic. c. 1.
effugere non poſſumus officium docendi, quod nobis refugientibus im-
poſuit Sacerdotii neceſſitudo: item Hilario, ipſi quoq; Epiſcopo
Pictavorum, qui lib. VI. de Trinitate dicit: *ſtudii mei & officii*
neceſſitate hoc Eccleſiæ Epiſcopus prædicationis Evangelicæ miniſteri-
um debeo. Idem agnovit Nicolaus Papa in Jure Canon. Diſtinct.
XLIII. c. 5. *Diſpenſatio nobis eſt cœleſtis ſeminis injuncta, væ ſi non*
ſparſerimus, væ ſi tacuerimus: quod cùm electionis vas formidet & cla-
met, quantò magis cuilibet exiguo metuendum? Videatur Eſpencæ-
us Digreſſ. lib. II. c. 2. Nullo non tempore labores Herculei
Scribæ noſtro exantlandi ſunt, nec otium illi exſpectandum.
Angeli hac Angelos ſemper in ſacris literis repræſentari ἑστηκότας, *ſtantes*,
in re imi- notat Cyrillus Alex. ad Zachar. c. I. idq; quia nunquam igna-
tandi. viæ ſuccumbunt, ſed mentem velut erectam, torporis exper-
tem, & ad Numinis obſequium, ac piorum cuſtodiam, prom-
ptiſſimam habent. Hinc & alæ illis à pictoribus adduntur,
quia ſemper in motu & actione verſantur. Id imitandum eſt
omnibus, quibus Deus indidit eam, quam Ariſtoteles inge-
nioſè vocavit, ἐντελέχειαν, continuæ motionis effectricem ani-
mam, quiq; propterea *ad laborem nati* dicuntur Job. V. 7. in
Ἀγὼν ſub- primis verò Angelis Eccleſiarum, qui exemplo Pauli debent
eundus. κοπιᾶν ἀγωνιζόμενοι, *laborare certando* Coloſſ. I. 29. & καλὸν ἀγῶνα
ἀγω-

ἀγωνίζεσθαι 2. Tim. IV. 7. i. e. laborioſum vitæ genus, pulchrum illud, eximium & decorum, quod illis Deus propoſuit, ubi ſeges gloriæ & fructus magna eſt, debitâ animi magnitudine & robore conficere. Id quod Timotheo etiam commendat Apoſtolus, ἀγωνίζε τὸν καλὸν ἀγῶνα 1. Tim. VI. 12. Conſulatur Creſollii Myſtagog. lib. III. c. 43. & lib. IV. c. 17.

XLIV.

Doctrina VIII. è voce θησαυρȣ̃.

OCtavò, vox θησαυρȣ̃, è quo depromere debet Scriba, docebit illum, quod non modò theſauro ſacræ eruditionis inſtructus eſſe debeat, quando id muneris capeſſit, ſed quod etiam allaborandum ſit ipſi, ut ſuſcepto jam hoc officio eundem theſaurum continuo ſtudio & indefeſſâ operâ adaugeat, ac quotidianis ſanctioris profectus incrementis collocupletet. Et primò quidem theſaurus adeſſe debet in illo, qui Scribæ talis partes ſuſcipit. Hic enim eſt νόμος πνευματικῆς ἀναβάσεως, *lex ſpiritualis progreſſionis ſive adſcenſionis* Greg. Nazianzeno Orat. XX. quam legem à S. Baſilio, quem ibi laudat, benè obſervatam eſſe docet, dum is non præpoſterâ temeritate ſe in penetrale ſacrarium, & quidem Epiſcopale, immiſit, priusquam religionis ſuæ, ſapientiæ atq; admirabilium virtutum ſpecimina multa & eximia in inferioribus officiis, Lectoris & Liturgi, dediſſet, non novus inſciensq; ſacrorum, ſed præſtabili cœleſtium rerum cognitione conſpicuus. E contrario queritur de ſui temporis labe, & præcipite quorundam Eccleſiaſticorum impetu, qui nullâ rerum ſanctiſſimarum & divinarum experientiâ freti, ſine alis ad Aras evolant. Sic & Bernhardus Serm. XVIII. in Cantica: *ante effundere, quàm infundi volunt, loqui quàm audire paratiores, & prompti docere, quod non didicerunt, aliisq; præeſſe geſtientes, qui ſeipſos regere neſciunt.* Ne *cœcus cœco ſe ducem præbeat, ne uterq; in foveam cadat* Matth. XV. 14. Hinc omnium gentium opinione excellens eruditio in Sacerdotibus requiſita fuit; quod de Ægyptiis, inter quos Heliopolitani & Niliaci Pontifices eminebant, Strabo lib. XVII. & Diod. Siculus lib. I. teſtantur; de Græcorum Hierophantis, & Romanis Sacerdotibus Cicero lib. *de Legibus*, & Dionyſius Halicarnaſſ. lib. II. qui *ſacros Doctores* eos nominat. Ejuſmodi ſacræ ſci-

Greg. Nazianz. de Baſilio.

Eruditio in Myſtis requiritur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

Urim & Thummim in V. T.

entiæ ſignum Hieroglyphicum in habitu ſummi Pontificis Vet. Teſt. erat חשן המשפט *pectorale judicii*, cum ornamento appoſito *Urim & Thummim* Exod. XXVIII. 29. 30. quod qvid fuerit, ſtudioſè diſquirunt P. Galatinus de *Arc. Cath. Ver.* lib. II. c. 12. P. Fagius *in Paraphr Chald.* h. l. Schindlerus in *Lexico ad vocem* אור, Schickardus in *Miſchph. Hammel.* p. 11. 12. ſeq. Druſius *Obſerv.* l. XV. c. 13. Amama *Anti-Barbari* lib. II. p. 358. ſequ. Serarius *in Joſuam* T. I. p. 172. Barradius *Concord. Evang.* T. II. l. X. c. 24. Fernandius *de Viſion. Vet. Teſt.* viſ. X. Fr. Ribera *de Templo* l. II c. 12. Rainoldus *Cenſ. lib. Apocr. prælect.* 138. & 224. Chamier *Panſtr. Cath.* T. I. l. III. c. 3. Hottingerus *Exerc. Anti-Morinian.* th. 66. ſeq. Sheringhamius in *Cod. Talm. Joma* p. 182. ſeq. ut alios taceam, qui in locum illum Exodi commentati ſunt.

Variæ verſiones loci Exod. XXVIII. 30.

LXX. Senes cum Philone perperam interpretantur δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν, ut & Vulgatus *doctrinam & veritatem.* Meliùs Aquila אורים vertit φωτισμοὺς i. e. *illuminationes*, & Verſio Samaritana utramq; vocem rectiùs reddit *elucidationes & perfectiones*, Syrus נהירא ושלמא *lucidum & perfectum*, Arabs אלאנואר ואלצחאיח *dilucidationes & certitudines.* Targum Onkeloſi & Pſeudo Jonathanis, & verſio Perſica retinent Ebræam vocem, ſed ita ut Jonathan eam explicet: אוריא דמנהרין מליהון ומפרסמין טמירן דבית ישראל *quæ illuſtrant res ipſorum, & manifeſtant abſcondita domus Iſrael.* Caſtalio *claritas & integritas*, Tigur. *illuſtratio & innocentia*, Diodati *lumi e perfettioni.*

Hieronymi explicatio.

Hieronymus in Oſeæ c. III. docet, iis rebus deſignatum fuiſſe, quòd in pectore & corde Pontificis ἀλήθεια & φωτισμοὶ i. e. *veritas eſſe debeat atq; doctrina, ut non ſolùm ſciat rectam fidem, ſed & quod noverit, poſſit ore proferre.* Hinc Iſidorus Peluſ. ob ejuſmodi φωτισμὸν dicere haud dubitavit πολύφωτον ἱερωσύνην *Sacerdotium multo lumine illuſtre* lib. I. Epiſt. 151. Conferantur quæ ſuprà de theſauro hoc diximus §. XXI. XXII. XXIII.

Theſaurus ille indies augendus.

Hunc verò indies augere debet Scriba noſter, & cum Timotheo jam Epiſcopo quotidie προκοπὴν φανερὰν, *profectum manifeſtum facere* 1. Tim. IV. 15. Nam ut rectè monuit idem Stridonienſis Presbyter Epiſt. 128. *tanta debet eſſe ſcientia & eruditio Pontificis Dei, ut & greſſus ejus, & motus, & uni-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

verſa vocalia ſint. Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu reſonet ac ornatu, ut quicquid agit, quicquid loquitur, ſit doctrina populorum. Absq; tintinnabulis enim nec ſancta ingredi poteſt, nec nomen Antiſtitis poſſidere. Quod de myſtico ſenſu tintinnabulorum etiam Gregorium M. ſenſiſſe jamjam obſervavimus. In Aaronitis olim requirebatur ſcientia *diſcernendi inter ſacrum & profanum, inter mundum & immundum, & docendi Iſraelitas omnia ſtatuta, quæ Deus præceperat* Lev. X. 10. 11. Non minor in hodiernis Myſtagogis eruditio poſtulatur, qui *lux mundi* dicuntur Matth. V. 14. nempe *ſcientiæ lumina*, ut Hilarius ad h. l explicat, item φωστῆρες, & λύχνοι, uti Patres eos vocare ſupra oſtendimus §. I. In illis ἐπιστήμην τελειωτικὴν *ſcientiam perfectam, & perficiendi vim habentem* poſcit Dionyſius de Hier. Eccleſ. c. 1. ubi etiam addit, illos eſſe debere ἐκφαντορικοὺς πάσης θεολογίας, *univerſæ Theologiæ Interpretes.* Talis ſine dubio fuit Joannes Patriarcha Epheſinus, (quem κολπωτὸν vulgò nominârunt i. e. *ſinuoſum*) utpote κατὰ ποταμοὺς προχέων τὰ τῆς φιλοσοφίας νάματα, *qui ad modum fluviorum ſapientiæ fluenta effundebat*, uti Th. Balſamon commemorat in Can. XX. Synodi in Trullo. Et hoc quidem neceſſariò requirit illud χρέος ἀπαραίτητον *inexcuſabile debitum docendi*, quod illis incumbit, ut Zonaras loquitur in Can. Apoſt. LVII. Unde quotidiana lectione, meditatione, ſtudioq; ſacrarum literarum opus eſt, ad illam doctrinæ antea acquiſitæ παρακαταθήκην cuſtodiendam, ut, quod de Nepotiano dixit Hieronymus Epiſt. 3. *lectione aſſiduâ & meditatione diuturna pectus ſuum bibliothecam faciant Chriſti.* Egregiè olim monuit Ambroſius Offic. l. I. c. 20. *cur non illa tempora, quibus ab Eccleſia vacas, lectioni impendas? Cur non Chriſtum reviſas, Chriſtum alloquaris, Chriſtum audias? illum alloquimur, cùm oramus, illum audimus cum divina legimus oracula.* Ita verò tempus ſuum diſpenſent, cujus eſt πολυτελέστατον ἀνάλωμα, ut animum avocent à lectione earum rerum, quæ ad theſauri augmentum nihil conferunt, quasve *nec ſcire compendium, nec ignorare detrimentum eſt ullum*, ut Arnobius ait contra Gentes lib. II. Nam *quædam ſunt quæ neſcire, quàm ſcire ſit melius*, teſte Auguſtino Enchir. ad Laur. c. 17. Inutilia, πάρεργα & περίεργα omittant, in utilibus verò & neceſſariis in-

Quanta eruditio in Scriba requiratur.

Lectio & meditatio quotidiana.

Quid legendum?

duſtriam occupent. In primis verò ſacris monumentis invigilent, eorum lectioni & meditationi intenti ſint 1. Tim. IV. 13. 15. Grave eſt monitum Hieronymi Epiſt. 2. *divinas ſcripturas ſæpius lege, imò nunquam de manibus tuis ſacra lectio deponatur. Diſce quod doceas.* Nec levius illud Ambroſii lib. II. de Abel c. 6. *Cœleſtium ſcripturarum eloquia diu terere ac polire debemus, toto animo & corde verſantes, ut ſuccus ille ſpiritualis ibi in omnes ſe venas animæ diffundat.* Oportet enim Scribam ejuſmodi eſſe *ſanctarum Scripturarum armarium*, uti Paulum Hieronymus Epiſt. 103. & Honoratum Epiſcopum Maſſilienſem Gennadius in Catalogo nominant. Nam Scripturam ſacram verum eſſe theſaurum, quem heic Chriſtus commendat, docet Athanaſius, qui eam vocat κειμήλια Θεοῦ Epiſt. ad Epiſc. Ægypt. nec non Gregorius Thaumaturgus, qui Orat. de Annunc. dicit iis, qui ſtudioſè mentis aciem in divina oracula intendunt, ἀποκαλύπτεσθαι τὸν θησαυρὸν τῆς τοῦ Θεοῦ γνώσεως, *theſaurum cognitionis Dei aperiri.*

S. Scriptura eſt theſaurus.

XLV.

Doctrina IX. de rebus è theſauro ſcripturæ proferendis.

NOnò, meminerit Scriba noſter, quod ubi commiſſo ſibi docendi munere in Eccleſia fungi velit, non aliunde, quàm ex illo theſauro, quem modò ſignavimus, depromere debeat ea, quæ in auditorum uſum proferenda ſint. Ex hoc ſacræ & divinæ eruditionis theſauro producat omnia, non ex ſentina affectuum, ambitione, odio, invidia, avaritia, aliόve vitio corruptorum. Proferat inde ſalutaria documenta, non hinc deteſtanda nocumenta. Ad auditorum ædificationem accommodet omnia, non ad eorum ſcandalum & juſtam offenſionem. Ne abutatur libertate publicè loquendi ſibi conceſſa, nec loco eloquiorum Dei proferat carnis & ſangvinis, imò Satanæ Pſeudoprophetæ eloquia. Ne patiatur, ut pulſo per ejuſmodi vitia S. Spiritu, per os & lingvam ſuam loquatur ille, qui Prophetarum plurium voce ad Achabum decipiendum olim abuſus eſt 1. Reg. XXII. 22. 23. E theſauro ſacrarum literarum divite & inexhauſto proferat ac probet ea, quæ dicturus eſt, & loquatur ὡς λόγια Θεοῦ 1. Pet. IV. 2. Nihil in ſacro illo loco eloquatur, quod non ſit verbum Dei, vel in ipſis terminis, vel quod per bonam & legitimam ἀνάλυσιν in illud re-

Nil niſi verbum Dei promendum.

ſolvi

ſolvi poſſit. In rebus tam ad dogmata, quàm ad mores ſpectantibus obſervet ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων ab Apoſtolis hauſtorum 2. Tim. I. 13. i. e. adhæreat exemplari, ſive ſummulæ ſanorum verborum in Scriptura expreſſæ: & ſicut pictores (à quibus Metaphora ducta videtur, docentibus Chryſoſtomo & Theophylacto in h. l.) rei faciendæ exemplar, aut formam aliquam & delineationem ſibi propoſitam imitantur, & in eam reſpicientes opus ſuum perficiunt, idq; ad eam veluti normam præſcriptam exigunt: ita hic formam in ſacris literis traditam obſervare debet, tam quoad ipſam doctrinam, quàm quoad phraſes & modum proponendi, ſecundùm archetypum utriusq; rei ab Apoſtolis relictum, veluti D. Tarnovius verba Apoſtolica interpretatur Exerc. Biblic. p. 1114. & D. Baldvinus comm. in h. l. Syrus reddit, נהוין לך חורא כלא חלימתא *forma* (aut *exemplar*, quod mavult Lud. de Dieu, à verbo Syriaco חר *intuitus eſt*, unde חורא *quod oculis ad intuendum ſubjicitur, ut ad id aliud efformetur*) *tibi ſint ſani ſermones.* Arabs egregiè וליכן לך רשם תחתדק בה אלאקואל אלצחחת, *ſit tibi exemplar, quod intuearis, ab integerrimis ſermonibus meis*, Caſtalio *exemplum ſanorum dictorum*, Vulg. & Tigur. *formam*, Beza *expreſſam formam ſanorum ſermonum*, Gal. Gen. *le vray patron des ſaines paroles*, Lutherus halt an dem Fürbilde der heilſamen Wort / Angl. *the form of ſound Words*, Diod. *un paragone, od eſemplare*, Belgæ het Voorbeeld der geſond Woorden / Vernac. Chriſt. IV. de ſalige ords udtryckte Form. Prophetia ſive ſacrarum literarum interpretatio, quam allaturus eſt, ſit κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως Rom. XII. 6. i. e. analoga, conſona & conveniens fidei, atq; ad Chriſtianæ religionis axiomata αὐτόπιστα exigatur, ita ut in illa vitetur ἰδία ἐπίλυσις 2. Pet. I. 20. & media iſta adhibeantur, quæ ad verum Scripturæ intellectum ex inſtituto divino ducunt. Caveat ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν 1. Cor. IV. 6. caveat ἑτεροδιδασκαλεῖν, & ſtudeat προσέρχεσθαι ὑγιαίνουσι λόγοις τοῖς τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῇ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλίᾳ 1. Tim. VI. 3. Semper affixus ſit ſanæ doctrinæ, & loquatur, ἃ πρέπει τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ Tit. I. 13. & II. 1. Vitet ac averſetur τοὺς βεβήλους καὶ γραώδεις μύθους,

Locus 2. Tim. I. 13. explicatur.

Quid ſit ὑποτύπωσις?

Analogia fidei obſervanda.

Quid ipſi vitandum ſit?

profanas & aniles fabulas 1. Tim. IV. 7. Vitet βεβήλους κενοφωνίας καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, *profanos de rebus inanibus clamores, & oppoſitiones falsò nominatæ ſcientiæ* 1. Tim. VI. 20. quæ verba de vanis, ſpinoſis, & clamoſis Sophiſtarum Scholaſticorum diſputationibus, concertationibus, nugisq́; futilibus accipit doctiſſimus Rainoldus in Colloq. cum Harto c. II. p. 162. ut & Beza in h. l. Admodum parcus ſit in allegandis è prophana eruditione documentis, modò ea omninò producere velit, nec tamen niſi doctos auditores habeat, & quidem tunc rarò, ad exemplum Apoſtoli Pauli, qui unus ferè ex omnibus Scriptoribus N. T. loca profanorum Autorum, & quidem Poëtarum citavit, ut Menandri 1. Cor. XV. 33. Arati Act. XVII. 28. & Epimenidis (ſive Callimachi, quod vult Hieronymus) Tit. I. 12. Parcus etiam ſit in humanis teſtimoniis aliis, quantumvis magnæ autoritatis, pro concione producendis, & Scripturam ſacram principe curâ ſcrutetur, explicet, inculcet, ſibiq́; juxta ac auditoribus in ſuccum & ſangvinem convertat. Sit ἀντεχόμενος τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου Tit. I. 9. nempe ſermonis illius unicè & veriſſimè fide digni atq; falli neſcii, ſemperq́; proferat illum λογόν ὑγιῆ ἀκατάγνωστον *ſermonem ſanum, qui damnari haudquaquam poſſit* Tit. II. 8. In ſumma ſingulis ſacri officii ſui partibus ita defungatur, ut memor ſit acris illius comminationis divinæ, ארור עושה מלאכת יהוה רמיה, *maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter* Jer. XLVIII. 10. LXX. illud רמיה vertunt ἀμελῶς i. e. *negligenter*, quos ſequitur Arabs בכשל *oſcitanter*. Convenientiùs verò id exprimunt Chaldæus & Syrus בנכלא in *dolo* vel *fraude*.

Humana teſtimonia an alleganda?

Locus Jer. XLVIII. 10.

XLVI.

Doctrina X de novis ac veteribus.

DEcimò, ex hoc theſauro depromet Scriba *nova* & *vetera*; i. e. varia, multiplicia, & omnis generis documenta Auditoribus εἰς οἰκοδομὴν profutura. Omnia, quæ ad rem faciunt, copioſè & luculenter doceat, nec *ſubterfugiat quicquam eorum, quæ iis conducent, quò minus ea doceat, & annunciet illis omne conſilium Dei*, exemplo Pauli Act. XX. 20. 27. Oſtendat ſe divinitus accepiſſe ςόμα juxta ac σοφίαν, quæ duo Scribis ſuis promiſit Chriſtus Luc. XXI. 15. Nihil occultet cum Anabaptiſtis,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

qui complura myſteria venditant, quæ alios celant, quos pro illotis & tantâ ſcientiâ indignis habent. Quæ populo Chriſtiano proponenda ſunt, quâdam tradendi varietate condiat, pro auditorum conditione & captu, quandoquidem *omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.* Jam nova depromat, jam vetera proferat, prout auditorum uſus & emolumentum popoſcerit. Imitetur hac in re Apoſtolos, & quidem unum inſtar omnium Paulum, qui σαρκικοὺς & νηπίους ἐν Χριστῷ γάλα ἐπότισε, καὶ οὐ βρῶμα 1. Cor. III. 1. 2. 3. iisq;, qui nondum didicerant στοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ, & qui erant ἄπειροι λόγου δικαιοσύνης, nil niſi lac & doctrinæ Chriſtianæ initia præbuit: at τοῖς τελείοις, τοῖς διὰ τὴν ἕξιν τὰ αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἔχουσιν, ſolidum cibum dedit Ebr. V. 12. 13. 14. Quod ulteriùs doctiſſimæ & diſertiſſimæ conciones Paulinæ variis in locis habitæ, atq; pro auditorum captu attemperatæ liquidò oſtendunt. Sic etiam Scriba noſter aliter catechumenos, aliter adultiores & provectiores in fide & cognitione Dei informabit. Aliter verſabitur circa contumaces & refractarios, fræno legis coërcendos, aliter circa humiles ſpiritu & corde contritos, ſolatiis Evangelicis erigendos. Ita proferat nova & vetera, ut *κοινὰ explicet καινῶς, & καινὰ explicet κοινῶς* h. e. *ut ex rebus vulgaribus & veteribus ſumat occaſionem & exempla, quibus novum & inuſitatum Evangelium rudibus exponat*, veluti loquitur noſter Brentius ad h. l. In primis *præcipuas illas doctrinæ revelatæ partes Legem & Evangelium debito modo, diſcrimine, debitâ quoq; juncturâ proponat, ut ex Lege quidem vetera, ex Evangelio autem nova depromat*, quæ ſunt verba Ægidii Hunnii ad h. l. Verè iterum & convenienter Brentius loc. cit. *Boni Doctoris eſt, non legem tantùm, ſed etiam Evangelium docere. Lex ſine Evangelio ducit homines in deſperationem: Evangelium ſine Lege ducit homines in præfractam temeritatem, non quidem Legis & Evangelii, ſed hominum vitio. Quare utrumq; eſt docendum, videlicet quid Deus Lege ſua à nobis requirat, & niſi hoc perfectè præſtiterimus, fiamus damnationi obnoxii. Hæc eſt vetus doctrina. Sed huic addendum eſt Evangelium, quod eſt doctrina nova, ut ex eo cognoſcamus, quæ ſit noſtra Legis impletio, & quòd propter Chriſtum à maledictione Legis & damnatione liberemur* &c. Ita verò depromat nova, ſive novam doctrinam

Exemplũ Pauli.

Brentii & Hunnii monita.

Doctrina V. & N.T. conjungenda.

è Novi Inſtrumenti tabulis petitam, ut veterem illam, Moſis & Prophetarum libris comprehenſam, haud negligat aut prætermittat, ſed utramq; conjungat, & quidem exemplo Scribarum Evangelicorum Principis Chriſti, qui in concione montana legem Moſaicam populo explicavit, & à corruptelis vindicavit, ſimulq; Evangelicam doctrinam tradidit Matth. V. VI. & VII.

Exempla Chriſti.

qui in concione Nazarethana primò vetera propoſuit, Eſaiæ Prophetiam c. LXI. 1. ex libro prælegendo, deinde clauſo libro nova adjecit, Evangelium docendo Luc. IV. 17. 18. 20. 21. 22. ſeq. qui in via Emauntica duobis diſcipulis comitibus è Moſis & Prophetarum ſcriptis expoſuit doctrinam de exinanitione & exaltatione ſua, deq; ſuo officio, & διηρμήνευεν αὐτοῖς ἐν πάσαις ταῖς γραφαῖς τὰ περὶ ἑαυτοῦ Luc. XXIV. 25. 26. 27.

Aliorum Doctorum exempla.

Atq; hoc ſummi Præceptoris exemplum juxta ac præceptum obſervârunt & ſecuti ſunt Apoſtoli & Doctores Eccleſiæ alii, ut Petrus in concione Pentecoſtali Act. II. 17. 22. 25. ſeq. 30. ſequ. Stephanus Protomartyr in Oratione Apologetica Act. VII. Paulus in concione Antiochena Act. XIII. 16. ſeq. in homiliis Theſſalonicæ habitis per tria ſabbata, quibus διελέγετο ἀπὸ τῶν γραφῶν, & Jeſum paſſum ac reſuſcitatum verum Meſſiam eſſe, inde evincebat Act. XVII. 2. 3. & quidem cum inſigni nobiliorum auditorum fructu, qui collatis inter ſe Scripturis, doctrinam ipſius μετὰ πάσης προθυμίας ἀνακρίνοντες complexi ſunt, fidemq; ſuſceperunt ib. v. 11. 12. nec non Apollo Judæus Alexandrinus δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς, è quibus convincebat Judæos, Jeſum eſſe Chriſtum Act. XVIII. 24. 25. 28. ut de aliis id genus Apoſtolicis diſſertationibus, quas illi vivâ voce vel ſcriptis tradidere, nihil amplius dicam.

Uſus collationis V. & N. T.

Magnum certè operæ pretium facit, qui utriusq; Teſtamenti ſententias inter ſe fideliter confert, concinnat & coaptat, ut quæ in N. T. leguntur exhibita, ex V. T. demonſtrentur eſſe prædicta,

In elencho Judæorum.

idq; tum in elencho Judæorum, qui ſolum V. T. pro fidei regula amplectuntur. Unde adverſus eos illâ docendi methodo poſt Chriſtum & Apoſtolos uſi ſunt pii Patres, prioribus Eccleſiæ Chriſtianæ ſeculis, ut Juſtinus Martyr contra Tryphonem, & Apologiâ geminâ, Cyprianus & Chryſoſtomus

in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

in Tract. adv. Judæos, Euſebius libris de Demonſtr. Evang. Auguſtinus libris de Civitate Dei, & alii: tum in διδασκαλίᾳ, & fidelium circa illam confirmatione & conſolatione, quando conſenſus cœleſtis doctrinæ oſtenditur, & idem ubiq; ſe exerens veritatis ſpiritus, ita ut de ſingulis divinæ ſapientiæ capitibus ſententiæ variæ, à diverſis autoribus, diverſis temporibus, & locis profectæ, mirificè inter ſe conſpirantes appareant. Qui conſenſus ſummæ veritatis, ſibiq; per omnia conſtantis, certiſſimum indicium eſt. Sicut enim duo Seraphin Eſa. VI. 3. ſibi mutuò reſpondentes eandem vocem reddebant in laudando ter ſancto & glorioſo Deo: ita duo Teſtamenta unum eundemq; Regem celebrantia ſibi mutuò conſonant. Hinc Nic. Lyranus ad hæc verba Chriſti notat, *ex hoc loco patere, quòd Epiſcopi, qui ſucceſſores ſunt Apoſtolorum, debeant habere notitiam utriusq; Teſtamenti, in cujus ſignum portant mitram in capite cum duplice cornu.* Ad quæ Lyrani verba obſervat Seb. Barradius comm. in Concord. Evang. l. IX. c. 9. explicationem Innocentii lib I. de Myſter. Miſſæ c. 60. *Mitra Pontificis ſcientiam utriusq; Teſtamenti ſignificat. Nam duo cornua, duo ſunt Teſtamenta: duæ fimbriæ, ſpiritus & litera: circuitus aureus, qui anteriorem & poſteriorem partem complectitur, indicat, quod omnis Scriba doctus in regno cœlorum de theſauro ſuo nova profert & vetera.* Cui ſigno utinam res ſignificata reſponderet, nempe talis ſcientia & doctrina in Epiſcopis Pontificiis. Sanè neceſſaria eſt cuivis idoneo S. literarum Interpreti Scripturarum diligens collatio, ut obſcuriora è clarioribus explicentur, quandoquidem *magnificè & ſalubriter Spiritus S. ita ſcripturam ſacram modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus faſtidia detergeret. Nihil enim ferè de illis difficultatibus eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur*, veluti egregiè docet Auguſtinus de Doctr. Chriſtian. lib. II. c. 6. Unde & c. 8. monet, ut *divinarum Scripturarum ſolertiſſimus indagator totas ſacras Scripturas legat, easq; notas habeat.* Videatur And. Riveti Iſagoge ad Scripturam S. c. XXX.

In Informatione Chriſtianorum.

Nic. Lyrani annotatio.

Scripturarum inter ſe collatio neceſſaria.

XLVII.

UNdecimò, ut perſpectum habeat Scriba, quâ ratione verſari debeat in his novis & veteribus è theſauro ſuo depromendis,

Doctrina undecima.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

Locus 2. Tim. III. 16. explicatur.

mendis, ſequatur doctrinam Apoſtolicam, quæ optimum & convenientiſſimum Scripturæ tractandæ modum declarat, quando IV. Scripturæ uſus & applicationes commendantur 2. Tim. III. 16. nempe διδασκαλία, ἔλεγχος, ἐπανόρθωσις & παιδεία. Harum prior συζυγία ad intellectum ſpectat, & ad credenda: poſterior ad voluntatem, & ad agenda. Quælibet autem earum συζυγιῶν duo adminicula complectitur, quorum alterum veri boníve cognitionem præbet, alterum falſi malíve fugam docet. Quibus addere licet quintum Scripturæ uſum, ab eodem Apoſtolo indigitatum alio in loco Rom. XV. 4. 5.

Διδασκαλία quomodo proponenda.

nempe τὴν παράκλησιν τῶν γραφῶν. Primò quidem ex iſto theſauro eruet Scriba διδασκαλίαν, doctrinam multiplicem, eamq; ὑγιαίνουσαν, ſanam & ſalutarem, de præcipuis fidei Chriſtianæ capitibus & veræ religionis articulis, in quibus proferendis & explicandis ita ſe geret, ut captui auditorum ſe ſtudiosè accommodet, exemplô ipſius Chriſti Marc. IV. 33. adeò ut rudioribus talia, adultioribus alia proponat, veluti jam antea docuimus. Det operam, ut ſit ὀρθοτομῶν τὸν λόγον τῆς ἀληθείας 2.

Locus 2. Tim. II. 15. illuſtratur.

Tim. II. 15. i. e. *rectè tractet, & dividat verbum illud veritatis*, prudenter id diſtribuat, & ad auditorum uſus attemperet. Chryſoſtomus, Theophylactus & Oecumenius in h. l. metaphoram deducunt à coriariis, qui ſuperflua reſecant à pellibus, quas ad uſum parant: ajuntq; moneri Doctorem Eccleſiæ, ut in tradenda cœleſti doctrina amputet & abjiciat, quicquid ſuperfluum, adulterinum aut inutile eſt: Theodoretus ab agricolis terram vomere ſcindentibus, & in rectos quaſi ſulcos, quibus ſemen recipiatur, ſecantibus: alii ut Lutherus Comment. in Gen. XVIII. Phil. Melanthon in Præfat. ad Erotem. Dialect. Flacius, Baldvinus, Grotius, Beza & Piſcator in h. l. à

Quid ſit ὀρθοτομεῖν.

Sacerdotibus certo ritu diſſecantibus victimas in V. T. quæ non quovis modo erant lacerandæ, ſed rectè dividendæ, ut certæ partes Deo cremarentur, aliæ Sacerdotibus relinquerentur: alii, ut Gu. Eſtius & H. Hammondus ín h. l. à via rectè diſponenda, ſicuti LXX. Senes Prov. III. 5. Ebr. יישר hoc verbo reddiderunt, & c. XI. v. 5. תישר דרכו verterunt ὀρθοτομοῖ ὁδὸς. Noſtro inſtituto accommodatior eſt ſimilitudo, quam alii

deſum-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

deſumptam cenſent à Patrefamilias, qui panem alendis filiis & domeſticis in fruſta dividit, quantum cuiq; convenit: aut à ſtructore ſive ſymposiarcha, qui in convivio nova & vetera edulia à Patrefamilias appoſita rectè diſſecat, diſtribuit, & ſingulis convivis partes, quæ ipſis commodæ & ſapidæ ſunt, exhibet. Videantur Flacius in Gloſſa, Cornel. à Lapide, & Diodati in Comm. ad h. l. Vulgatus non malè ſenſum expreſſit, *rectè tractantem verbum veritatis*, & Syrus דמכרז תריצאית *rectè prædicantem*, quos, licet à Beza propterea caſtigatos, laudant nihilominus Nic. Fullerus Miſcell. Sacr. lib. III. c. 16. & Lud. de Dieu in h. l. Æthiops, *qui rectè ſcindit verbum Dei in veritate:* Arabs cum Chryſoſtomo facere videtur קאטעא ען קול אלחק מא זיד פיה *reſecantem à ſermone veritatis, quod ei ſuperadditum fuerit.* Tigur. Caſtal. Beza & Piſcat. *rectè ſecantem*, Luther. & Verſ. Socin. der da recht theile.

Senſus locutionis Apoſtolicæ.

Senſus Apoſtoli eſt, quod Scriba ejuſmodi in doctrina veritatis nihil prætermittere debeat, quod dicendum ſit, nihil etiam adjiciat de ſuo, nihil mutilet, diſcerpat, torqueat; deinde ſpectet diligenter, quid ferat Auditorum captus, & quid ad ædificationem conducat; ut boni œconomi inſtar det ſingulis τὸ σιτομέτριον Luc. XII. 42. Depromat ita nova cum veteribus in hac διδασκαλίᾳ, ut non affectet aut afferat nova dogmata, ſive novas Scripturæ Sacræ interpretationes, è ſuo cerebello efficta s, ad quas defendendas, & favorem novis ſuis ſpeculationibus Apocalypticis conciliandum, hâc Chriſti parabolâ abutitur Jeſuita Lud. ab Alcazar in Apocalypſin Proëm. Notat. XIX. p. 30.

Lud. Alcazar notatur.

Quid enim de nova ejuſcemodi Kabala, noviſq; expoſitionibus Allegoricis ſentiendum ſit, ſuprà docuimus §. XXXIX. Vitet etiam βεβήλους καινοφωνίας i. e. profanas vocum novitates, veluti Vulgatus vertit locum Apoſtolicum 1. Tim. VI. 20. cum quo Chryſoſtomus, Ambroſius, & Baſilius pro κενοφωνίας, quam vocem pleriq; codices jam habent, legerunt καινοφωνίας, nec non Auguſtinus Tractat. XCVIII. in Johannem. Ita etiam 2. Tim. II. 16. Chryſoſtomum κενοφωνίας interpretatum eſſe per καινολογίας (ſicut in priore loco legit καινοφωνίας) teſtis eſt Theophylactus in utrumq; locum. Nam & hoc vitium eſt, quod offendiculo

Καινοφωνίαι vitandæ 1. Tim. VI. 14.

diculo

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

diculo non caret; & plerunq; magno cum ſolidæ doctrinæ detrimento conjunctum eſt, magnamq́; ingenii vanitatem arguit. Fugiat τὰς νεωτερικὰς ἐπιθυμίας 2. Tim.II.22. quibus vocibus novandi ſtudium & pruritum ab Apoſtolo deſignari monuit Cl. Salmaſius in Appar. ad lib. de Prim. Papæ p. 58. & nos quoq; oſtendimus in Diatribe noſtra de Feria Paſſionis Chriſti ante XII. annos edita c. 1. Deinde cum διδασκαλίᾳ hac conjungat ἔλεγχον, i. e. redargutionem ſolidam falſorum dogmatum, cum cœleſti veritate pugnantium, adeò ut pretioſum à vili ſeparet Jer. V. 19. δυνατὸς τοῦ ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν Tit. I. 9. quos etiam debet ἐπιστομίζειν, nempe διδάσκοντας ἃ μὴ δεῖ ibid. v. 11. In primis illos errores circa fidem eô, quo par eſt, zelô refellat, à quibus contagii periculum ſit Eccleſiæ ipſius fidei concreditæ, atq; eorum diſſeminatores arguat ἀποτόμως ibid. v. 13. i. e. præcisè, Syrus קשׁיאית durè, ſeverè, Arabs בחנאות cum ſeveritate, & quidem eo fine eaq́; intentione ſolâ, ἵνα ὑγιαίνωσιν ἐν τῇ πίστει ibid. Aliàs circa ejuſmodi elenchum magnâ lenitate & animi moderatione utatur, & omnis acerbitas abſit, modò ſpes emendationis ſuperſit, ἐν πρᾳότητι παιδεύων τοὺς ἀντιδιατιθεμένους, μήποτε δῷ αὐτοῖς ὁ Θεὸς μετάνοιαν εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας 2. Tim. II. 25. idq́; faciat ἐν πάσῃ μακροθυμίᾳ 2. Tim. IV. 2. Sedulò evitet λογομαχίας, *circa quas langvere ſolent* τετυφωμένοι, quæq́; *invidiam, contentionem, & ſuſpiciones malas generant* 1. Tim. VI. 4. Fugiat pugnas de verbis, velitationes verborum, altercationes inanes, rixoſas, & inutiles de vocabulis, vel rebus nullius momenti, quæ nec ad tranquillitatem conſcientiarum, nec ad ædificationem pertinent, quales ſunt Scholaſticorum vitilitigatorum ineptiæ. Caveat ἀέρα δέρειν 1. Cor. IX. 26. i. e. ne joculares pugnas inſtituat, ne aërem quatiat, aut cum larva ſua luctetur: ne certamen ineat, ubi nullus adverſarius urget. Vitet τὰς μωρὰς καὶ ἀπαιδεύτους ζητήσεις, εἰδὼς ὅτι γεννῶσι μάχας; δοῦλον δὲ Κυρίου οὐ δεῖ μάχεσθαι, ἀλλ᾽ ἤπιον εἶναι πρὸς πάντας, ἀνεξίκακον 2. Tim. II. 23. 24. Nam Epiſcopum oportet eſſe ἐπιεικῆ, ἄμαχον 1. Tim. III. 3. & Tit. III. 2. Ubi verò in repugnantibus omnis correctionis ſpes decollat, ibi juſto fervore retundendi ſunt Pſeudo-Prophetæ, falſorum dogma-

Νεωτερικαὶ ἐπιθυμίαι.

Ἔλεγχος conjungendus.

Lenitas heic adhibenda.

Supervaneæ contentiones vitandæ.

Sed & juſtus fervor adhibendus.

dogmatum patroni, & gregis Dominici ſeductores, exemplô Chriſti Matth. XVI. 11. 12. XXIII. 15. 16. 17. ſeq. Johannis Baptiſtæ Matth. III. 7. Pauli 1. Tim. I. 20. Johannis Apoſtoli 2. Epiſt. v. 10. qui talibus ne quidem χαίρειν dici permittit. Nam in ejuſmodi negotio tepor Deo quàm maximè diſplicet, qui τοὺς χλιαροὺς μέλλει ἐμέσαι ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ Apoc. III. 15. 16.

XLVIII.

ALtera συζυγία Apoſtolica complectitur alterum par uſuum S. Scripturæ, nempe ἐπανόρθωσιν & παιδείαν. Illa eſt corruptorum morum correctio, qua defungetur Scriba noſter, ſi improbos & in vita exorbitantes ſedulò ſerioq; admonuerit, eos à via improbitatis revocare ſtuduerit; idq; ut eos ſervet, & ne ſangvis impiorum de manu ipſius repoſcatur Ezech. III. 17. 18. 19. Inprimis eam morum corruptelam juſto fervore caſtigabit, quæ in Eccleſia ſuæ fidei commiſſa invaluit, vel quæ exemplo aut ſcandalo auditoribus ſuis nocere poſſit, falcem verò in alienam ſegetem haud mittat, neq; τοὺς ἔξω judicet 1. Cor. V. 12. Sed publicæ increpationi ſemper privatam admonitionem præmittat, ſecundùm præceptum Chriſti Matth. XVIII. 15. 16. 17. omnemq; animi acerbitatem declinet, & affectum ſemper declaret benevolum, ac ſalutis auditorum avidum 2. Tim. II. 25. 26. Nunquam non in ipſius ἐπανορθώσει reluceant πρᾳότης, ἐπιείκεια & πᾶσα μακροθυμία, quas commendat Apoſtolus locis ſuprà allegatis. Primâ verò curâ ea vitia, eaq; peccata reprehendat, quæ S. pagina pro graviſſimis habet, quæq; vocat *opera carnis*, *opera tenebrarum*, & quidem ἄκαρπα *infrugifera* Eph. IV. 2. pugnantia è diametro cum lege morali, & ſeveram Numinis vindictam provocantia. Caveat, ne his prætermiſſis inſectetur alia, quæ Spiritus Dei nunquam diſertis verbis peccata propriè dicta & mortalia pronunciat: néve pro iſtis, quæ verè ſunt calamitatum publicarum, & plagarum Epidemicarum cauſæ, ſubſtituat nugamenta de hoc vel illo veſtimenti genere, quod in ſe ſpectatum in cenſu τῶν ἀδιαφόρων poni debet. Quænam verò ſint illa peccata, quæ miniſter Eccleſiæ publicè caſtigare debeat, quâq; lenitate circa illorum reprehenſionem ipſi utendum ſit, id optimè docet religioſiſſima

Ἐπανόρθωσις quomodo inſtituenda?

Quæ circa illam obſervanda?

Quæ peccata præcipuè arguenda.

ma Sanctio glorioſiſſimi Regis Chriſtiani IV. *de Eccleſiæ Autor. & Poteſtate*, quæ inſerta eſt *Receſſui*, edito juſſu ejuſdem Regis immortali memoria digniſſimi lib. I. c. II. art. 8. & 28. Reformidet Scriba Evangelicus illud *væ* Chriſti, quod Scribis Judaicis denunciatur, *Ducibus cæcis, percolantibus culicem & deglutientibus camelum: qui decimabant mentham, anethum & cuminum, ſed graviora legis, judicium, miſericordiam & fidem omittebant* Matth. XXIII. 23. 24. At ubi atrocia delicta cum ſcandalo liberiùs & periculoſiùs graſſantur, tum omninò ita peccantes publicè redarguere debet, & quidem ἐνώπιον πάντων, eaq; ſeveritate, ἵνα καὶ οἱ λοιποὶ φόβον ἔχωσι 1. Tim. V. 20. imò χωρὶς προκρίματος, μηδὲν ποιῶν κατὰ πρόσκλισιν, *ſine præjudicio, nihil faciens in alteram partem inclinando* ibid. v. 21. Syrus reddit ולא נתקדם רעינך למדם ולא תסעור מדם במסב באפא, *ne præoccupetur mens tua ullâ re, & nihil agas per acceptionem perſonarum*: Arabs, *ſine præcipitatione, & absq; inflexione judicii, nihilq; facias prætextu litis præteritæ*, Lutherus ohne eigen gut dünncken/ und nichts thueſt nach gunſt. Imitetur Johannem Baptiſtam παῤῥησιαστὴν maximum, qui nec Herodi pepercit, nec vitæ ſuæ Marc. VI. 18. 19. Ubi neceſſitas poſtulaverit, clavem ligantem adhibeat, & corrigi nolentes è cœtu Eccleſiæ ejiciat, putidumq; membrum à corpore reliquo reſecet, *ne pars ſincera trahatur*, ſecundùm doctrinam Chriſti Matth. XVIII. 17. & exemplum Pauli 1. Cor. V. 1. 4. 5.

Atrocia delicta juſto zelo caſtiganda.

Locus 1. Tim. V. 20. 21.

Ex adverſo etiam παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ inſtituet Eccleſiæ Doctor, quâ auditorum vitam & mores ita reget, & pædagogi inſtar, ſive Patris Eph. VI. 4. παιδεύσει 2. Tim. II. 25. ita informabit eos, ut vita integra & honeſta ornent doctrinam ſalutarem, *ne hæc, nomenq; Dei, & verbum ejus blaſphementur* 1. Tim. VI. 1. Tit. II. 5. ut ſint πολιτευόμενοι ἀξίως τοῦ Εὐαγγελίου τοῦ Χριστοῦ Phil. I. 27. ἀξίως περιπατοῦντες τῆς κλήσεως ἧς ἐκλήθησαν Eph. IV. 1. ἀξίως τοῦ Κυρίου εἰς πᾶσαν ἀρέσκειαν, ἐν παντὶ ἔργῳ ἀγαθῷ καρποφοροῦντες Col. I. 10. ut gratiam Dei τὴν ἡμᾶς παιδεύουσαν rectè collocent, & *temperanter, juſtè ac piè vivant* Tit. II. 11. 13. 14.

Παιδεία quomodo adhibenda.

Præſertim id agat, aliorum vitam moderaturus, ut ſuam priùs emendet, *ne turpe ſit illi, ut Doctori, ſi culpa redarguat ipſum*: quod quantopere Deo improbetur, ſacræ literæ teſtan-

Vita Doctoris ipſius primò emendanda.

ſtantur Pſal. L. 16. 17. 18. ſequ. Rom. II. 21. 22. 23. 24. Ipſe enim *typus fidelium* eſſe debet 1. Tim. IV. 12. 2. Theſſ. III. 9. τύπος τοῦ ποιμνίου 1. Pet. V. 3. adeoq; vitam ſuam ad normam æqui & honeſti ita componet, ut auditoribus ſpeculi uſum præſtare valeat, dum ipſe ἀνεπίληπτος habetur 1. Tim. III. 2. & ἀνέγκλητος Tit. I. 6. i. e. adeò inculpatus, ut jure à nemine reprehendi poſſit. Quod etiam adumbratum fuit olim per alteram ornamenti Pontificalis in V. T. partem, quæ *Thummim* vocabatur, i. e. *integritates*, qua de re ſuprà diximus §. XLIV. Tandem ad hos quatuor Scripturæ Θεοπνεύστου uſus accedet quintus, qui eſt παράκλησις. Nam cum hominibus *datum ſit, non tantùm ut in Chriſtum credant, ſed & pro eo patiantur* Phil. I. 29. adeoq; *nunquam bella piis, nunquam certamina deſint*; Diaboli & carnis corruptæ tentationes, mundi afflictiones, divinæ δοκιμασίαι vel τιμωρίαι nunquam ferè deſiderentur; quarum perpeſſionum caro humana ſibi relicta admodum impatiens eſſe ſolet: inde *conſolatione opus eſt*, quæ patientiam operatur, *ut voluntatem Dei facientes promiſſionem reportent* Ebr. X. 36. Hinc Deus miniſtros ſuos jubet *conſolari populum ſuum, & loqui ad cor Jeruſchalaim* Eſa. XL. 1. eamq; conſolationem proponere, quæ à Deo ipſo, ejusq; verbo proficiſcitur 2. Cor. I. 4. 5. Unde & ipſe Θεὸς πάσης παρακλήσεως v. 3. & verbum illius λόγος παρακλήσεως nominatur Ebr. XIII. 2.

Παράκλησις demum addenda.

XLIX.

CÆtera, quæ ad Scribæ Evangelici officium ſpectant, ſive quoad doctrinam, ſive quoad vitam & mores, quæ heic addi, & è verbis Chriſti deduci poterant, prætermittere cogimur, quandoquidem jamjam præter opinionem hæc commentatio noſtra in majorem molem ſub manu excrevit. Qui de his & aliis ampliùs erudiri cupiunt, conſulant libros optimorum Eccleſiæ noſtræ Theologorum eâ de re antea editos, ut Paſtorale Lutheri collectum per Conrad. Portam, Pauli Tarnovii de SS. Miniſterio, Frid. Baldvini inſtitutionem Miniſtrorum verbi, quæ Wittebergæ prodiit A. 1622. Ejuſdem, ut & Gerhardi Comment. in utramq; Epiſt. ad Timotheum (quæ inſtar *Ordinationis Eccleſiaſticæ* Apoſtolo dignæ ab omnibus

Alia Scribæ requiſita.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

bus Chriſtianis haberi debet) Georg. Dibvadii noſtri Speculum Sacerdotii, ſive Commentar. in I. Epiſt. ad Timoth. ut alios jam taceam. Cum quibus conjungi poterunt libelli, qui Oratoriæ Eccleſiaſticæ methodum & præcepta continent, D. Joh. Forſteri & D. Hulſemanni Methodus Concionandi, Jo. Ben. Carpzowii Hodeg. Colleg. Concion. Jo. Henr. Urſini Paradigm. Sac. Conc. atq; id genus alii. Nullus verò dubitabit Eccleſiæ Doctor, quin ſi officii ſacri divinitus impoſiti

Merces bonorũ Scribarum.

partes eo modo, quem jamjam delineavimus, implere pro virili conatus fuerit, ſeq; ita ſtiterit Deo *δόκιμον, ἐργάτην ἀνεπαίσχυντον* 2. Tim. II. 15. mercedem gnavo fidoq; miniſtro promiſſam ſit conſecuturus, ſi non ab ingrato mundo, tamen à Deo & ſupremo Domino, in quo labor ipſius haudquaquam vanus ſit futurus 1. Cor. XV. 58. Sanè ipſe *προσώπῳ γραμματέως ἐπιθήσει δόξαν αὐτοῦ* i. e. *faciei Scribæ apponet gloriam ipſius*, veluti loquitur Syracides c. X. v. 5. A mundo quidem illi debetur *διπλῆ τιμή* 1. Tim. V. 17. & religioſum obſequium Ebr. XIII.

Præmia quæ mundus debet.

17. & honeſta ſuſtentatio, ut, qui *altari ſerviunt cum altari participent; qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivant* 1. Cor. 13. 14. & immunitas ab oneribus Reipublicæ, qualem jus gentium videtur indulſiſſe, tum Sacerdotibus Ægyptiacis (ſapientiæ doctoribus) quorum agri à Joſepho communi gravamini, quod totius regni incolis imponebatur, exemti ſunt Gen. XLVII. 22. 26. tum Ezræ Scribarum Anteſignano, ejusq; comitibus Sacerdotib⁹ & Levitis, omnibusq; domus Domini miniſtris, quibus Rex Perſarum Artaxerxes canonem veterem aut vectigal ullum imponi vetuit Ezr. VII. 24. Præſtantius verò à Deo præmium impetrabunt, qui ita militant Deo, ut *bonam conſcientiam retineant* 1. Tim. I. 18. *συνείδησιν ἀπρόσκοπον* habentes, exemplo Pauli Act. XXIV. 16. nempe ut

Præmium à Deo expectandum.

qui fideles fuerint in exiguo, ſuper multa conſtituantur, & in gloriam Domini ſui admittantur Matth. XXV. 21. ut *cum manifeſtatus fuerit ὁ Ἀρχιποίμην, reportent τὸν ἀμαράντινον τῆς δόξης στέφανον* 1. Pet. V. 4. & *ſplendeant ſicut ſtellæ in ſeculum & perpetuum* Dan. XII. 3. Quorum contraria omnia experientur illi, qui talentum defodiunt, aut malè collocant, vel qui opus Domini fraudulenter faciunt,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

unt, id quod è compluribus Sacræ paginæ teſtimoniis liquet.

L.

SEd nos etiam pro modulo talenti, quod ſummi Οἰκοδεσπότου benignitas nobis concredidit, pro virili allaborabimus, ut Spiritus Sancti gratioſâ ope adjuti, Scribæ Evangelici officio divinitus nobis demandato ita defungamur, ut Patrisfamilias inſtar è divino noſtro Sacrarum literarum theſauro nova ac vetera depromamus, & Auditoribus noſtris proponamus: nimirum ut telam, quam jamjam in laboribus noſtris Academicis exorſi ſumus, deinceps cum bono Deo pertexamus, & ex utroq; divino Inſtrumento, Veteri juxta ac Novo, libros quosdam ſacros & Θεοπνεύστους eligamus, in quorum interpretatione noſtram deinceps (quamdiu ſummo Numini viſum fuerit) induſtriam occupemus, Legalem pariter & Evangelicam doctrinam ex utriusq; Teſtamenti authenticis tabulis explicaturi. Eâdem verò operâ auditores noſtros ad ambos ſacrorum monumentorum fontes delibandos manu quaſi ducemus,& ad utriusq; lingvæ originalis ac primogeniæ, Ebrææ in Veteri,& Græcæ in Novo,pleniorem intellectum SS. Theologiæ & miniſterii Eccleſiaſtici Candidatis perquam neceſſarium, facem illis, quantum in nobis eſt, præferemus. Inter eos verò duo libelli divini ſe nobis primùm obtulerunt,in quorum expoſitione quasdam ſacrorum ejuſcemodi laborum primitias exhibere placuit, nempe divini Vatis Haggæi liber Propheticus è Vet. Teſt. & B. Judæ Apoſtoli Epiſtola Catholica è N. Teſt. Cauſæ electionis in utroq; libello nobis extiterunt 1. ſuccincta eorum brevitas, ob quam ſpecimen Commentationum Biblicarum in ambobus edendum citiùs expediri poſſit, 2. ſelectæ utrobiq; res, juſto commentario digniſſimæ. Nam & Haggæus, primus Prophetarum, qui ſolutâ captivitate Babylonicâ floruerunt, ſcriptis inclyti, utriusq; doctrinæ, Legalis & Evangelicæ, quædam quaſi compendia tradit. Et in Judæ libello variæ locutiones juxta ac res occurrunt, quæ vel rariùs, vel nunquam in aliis libris Biblicis inveniuntur, quæq; adeò diligentiorem diſquiſitionem jure

Nos quoq; Scribæ talis munere fungemur.

Libelli II. ſacri primùm explicandi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

poſtulant. Accedit, quòd paucis admodum, aut nemini ferè ex noſtris Theologis hactenus juſto Commentario ſit illuſtratus. Quò lubentiùs viam aliorum pedibus minùs tritam ingredimur. Modo autem commentandi, quem jamjam aliis commendavimus, ipſi in utroq; libello ſacro explicando utemur. Suaviſſimus Servator Jeſus, qui via eſt, veritas & vita, nos viatores, ſine illius auxilio errabundos, in via recta ad veritatem divinam amplectendam, & vitam cœleſtem conſequendam, ſanctiſſimi Spiritus ſui lumine propitius ducat, dirigatq;. Amen.

L. B. S.

ERrata nonnulla, benevole Lector, quæ præli vitiô irrepſere, nec oportunè inter alias occupationes obſervari potuere, pro tua humanitate ut corrigas, & Autorem excuſatum habeas, amicè rogaris. Graviora hæc à nobis animadverſa notantur, quæ ita emendentur.

Pag. 2. l. 23. lege *elogium*, p. 4. l. 4. leg. αὐτȣ̃, ibid. l. 20. pro 3. l. 13. pag 8. l. 14 pro 75 l. 25 pag. 11. l. 16. l. *notio*, p. 13. l. 24. pro 36. l. 10. pag. 19. l. 24. l. πολυπραγμοσύνης, p. 20. l. 10. l. *Artaxerxe*, ibid. l. 23. l. *Theophylactus*, p. 22. l. 8. l. πλεύγια, p. 24. l. 4. pro 29. l. 19. p. 28. l. 23. l. ἄροτρον, p. 35. marg. pro 30. l. 20. p. 43. l. 23. l. δοκιμασία, p. 44. l. 24. pro 10. l. 13. p. 46. l. 31. pro *lectionis* l. *locutionis*, ibid. l. 24. pro 20. l. 10. p. 48. l. 29. pro VII. l. VIII. p. 51. l. 24. l. *falerna*, p. 56. l. 2. l. *concluſionem*, p. 70. l. 28. l. *utramq;*, p. 62. l. 4. pro 21. l. 12. p. 63. l. 20. pro III. 1. 2. lege I. 2. 3. p. 74. l. 24. pro *Digreſſ.* l. *Dionyſ.* p. 76. l 5. leg. *libera*, p. 91. l. 4. l. πολυπλέστατον, p. 92. l. 6. lege *de* Cain *&* *Abel*. Cætera leviora, vel in orthographia, præſertim circa ſpiritus Græcorum, vel in diſtinctionibus ſententiarum, vel in literis quibusdam ſive minùs accuratè expreſſis, ſive inverſis, ipſe non monitus facilè agnoſces. Vale.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

Indiculus locorum S. Scripturæ, quæ vel uberiùs, vel parciùs explicata, &, ſive è fontibus, ſive è verſionibus Orientalibus, ſive alio modo illuſtrata ſunt.

Numerus prior paragraphos, poſterior verò paginas deſignat.

Geneſ.	41, 39. ſeq.	41, 83.
	49, 10.	11, 19.
Exod.	2, 1.	24, 46.
	5, 6.	5, 7.
	25, 18.	34, 67.
	28, 29. 30.	43, 90.
Levit.	26, 10.	26, 51.
Num.	13, 2.	34, 67. 68.
Deut.	6, 5.	31, 61.
	24.	35, 70.
	16, 18.	5, 7. 8.
	28, 12.	21, 39.
1. Sam.	9, 7.	21, 37. 38.
2. Sam.	8, 18.	5, 7.
	20, 25.	5, 8.
2. Reg.	12, 10.	ibid.
	25, 19.	5, 8, 9.
1. Para.	2, 55.	7, 12.
	18, 17.	5, 7.
	23, 4.	5, 7.
	25, 7.	14, 24.
	27, 32.	5, 8.
2. Par.	24, 11.	5, 8.
	29, 16.	25, 48.
	31, 13.	9, 16.
Ezr.	7, 10. ſeq.	11, 20.

Nehem.	8, 3.	43, 87.
	4. 5.	9, 15.
	10, 39.	21, 39.
Pſalm.	45, 2.	7, 12.
	58, 6.	14, 24.
	135, 5.	21, 39.
Prov.	8, 21.	21, 38.
Eccleſ.	3, 6.	21, 37.
	9, 10.	43, 87.
Cant.	4, 5.	34, 68.
	13. 16.	26, 50.
	7, 3.	34, 68.
	13.	26, 50.
Job.	38, 22.	21, 38.
Eſther.	3, 12.	5, 8.
	6, 10.	12, 22.
	8, 3.	5, 8.
Eſa.	6, 3.	46, 97.
	33, 18.	5, 9.
	55, 4	9, 16.
	57, 9.	21, 37.
	66, 18. ſeq.	13, 23.
Jerem.	20, 1.	9, 16.
	31, 31.	32, 63.
	32, 10. 11.	7, 12.
	48, 10.	45, 94.

Jerem.	52, 25.	5, 8.9.
Ezech.	9, 2.3.	7, 11. 12.
Dan.	9, 25.	9, 16.
Oſe.	2, 10.	24, 46.
	13, 15.	21, 38.
Joel.	1, 17.	21. 38.
	2, 28.	11, 23.
Zach.	12, 6.	1, 2.
Malach.	3, 10.	21, 39.
Eccleſ.	38, 25.	19, 32.
1. Mac.	5, 42.	5, 9.
2. Mac.	4, 10. ſeq.	37, 73.
	6, 18.	10, 19.
Matth.	2, 4.	8, 12. 13.
	11.	21, 39.
	5, 17.	31, 60.
	7, 6.	30, 58.
	29.	9, 15.
	13, 44. 51.	4, 5.
	17, 5.	36, 71.
	20, 18.	10, 18.
	25. ſeq.	42. 85. 86.
	22, 35.	8, 12, 13.
	37.	31, 61.
	23, 2. ſeq.	9, 15. 16.
	8.	38, 75.
	34.	10, 16.
	27, 57.	14, 24.
	28, 29.	ibid.
Marc.	1, 12.	25, 48.
	3, 22.	12, 22.
	10, 33.	10, 18.
Marc.	10, 42. ſeq.	42, 85. ſeq.
	12, 28.	8, 12.
	13, 25.	24, 47.
Luc.	4, 17. ſeq.	46, 96.
	20.	9, 15.
	9, 62.	17, 28. 29.
	10, 25.	8, 13.
	26.	11, 20.
	11, 44. ſeq.	8, 13. 14.
	52.	10, 18.
	12, 42. ſeq.	41, 82. ſeq.
	17, 20. ſeq.	20, 35.
	22, 25. ſeq.	42, 85. ſeq.
Johan.	5, 35.	1, 2.
	39.	22, 4.
	7, 15.	18, 30.
	13, 34.	32, 62.
Actor.	4, 13.	18, 29. ſeq.
	6, 2.	37, 72.
	14, 21.	14, 24.
	15, 21.	11, 21.
	17, 2. 3. 11.	47, 96.
	18, 24.	19, 32.
	19, 35.	6, 9. ſeq.
	23, 9.	11, 20.
Rom.	2, 17. ſeq.	9, 15.
	12, 6.	45, 93.
	16, 22.	8, 13.
1. Cor.	1, 12.	38, 75.
	17.	18, 30.
	20.	10, 17.
	2, 4. 5. 13.	18, 30.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

1.Cor.	6,	3.	38, 72.
	9,	16.17.	43. 87.
		20.ſeq.	28, 53.
	13,	4.	38, 77.
2.Cor	1,	24.	42, 86.
	2,	17.	41, 84.
	3,	6. ſeq.	34, 67.
		9.	30, 59.
		11.	33, 65.
	4,	6.7.	22, 40.
	12,	14.ſeq.	41, 85.
Galat.	3,	16.ſeq.	34, 66.
		24.	31, 61.ſeq.
	4,	24.26.	32, 63.
Epheſ.	1,	9.	32, 62.
	2,	20.	30, 59.
	3,	3.	32, 62.
		10.	22, 40.
Phil.	2,	15.	1, 2.
Coloſſ.	4,	11.	20,36.ſeq:
1.Theſ.	11,	4.	23,44.
2.Theſ.	1,	5.	20, 36.
1.Tim.	1,	4.	39, 81.
		8.	36, 72.
	3,	2.	20, 36.
		6.	20, 34.
		7.	38, 76.
		8.	41, 83.
		10.	23, 43 ſeq.
	4,	13.ſeq.	19, 33.
			& 22, 41.
1.Tim.	5,	20.ſeq.	48, 102.
	6,	5.	41, 84.
		20.	22, 42.ſeq.
			& 45, 94.
			& 47, 99.
2.Tim.	1,	6.	22,41.ſeq.
		13.	45, 93.
		14.	22, 42.ſeq.
	2,	4.	37. 72.ſeq.
		15.ſeq.	47, 98. 99.
		22.	ibid.100.
		24.	20, 36.
	3,	16.	47,98,ſeq.
			& 48,101.ſeq.
		17.	20, 36.
	4,	3.	38, 75.
		7.	43, 89.
Tit.	1,	14.	39, 81.
		9.11.13.	47, 100.
	3,	13.	8, 13.
Hebr.	5,	12.ſeq.	20, 34.
			& 23, 45.
	8,	8.	32, 63.
		13.	33, 65.
1.Pet.	4,	2.	45, 92.
		15.	41, 82. 83.
	5,	2.	43, 87.
		3.	42, 85. 86.
2.Pet.	1,	20.	39, 78. 79.
1 Joh.	2,	8.	32, 62.
3.Joh.	v.	3.	38, 75.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-220 4° 1265